BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
8
20 — II
56
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

4.13.16.
TI
1111
8

Digitized by Google

CHRISTIANVS AD ARAS.

AVTHORE

R. P. BARTH. IAQVINOTIO
è Societate IESV.

NVNC PRIMVM PRODIT in lucem.

LVGDVNI,
Apud LAVRENTIVM ANISSON.

M. DC. XLVI.
Cum Approbat. & Priuilegio.

Digitized by Google

REGINÆ BRITANNIÆ.

QVOD noſter hic Chriſtianus mare tranſmittat ad manus tuas aduolaturus in Britanniam, Regina Ampliſſima: Id profectum eſt eo ſtudio, quod animo meo inſedit iam tùm, quum Regis ſingulari gratiâ accerſitus fui Pariſios tibi futurus ſacræ pœnitentiæ adminiſter. Quæ

cauſa fuerit mutandi poſt præſtitam per menſes quatuor operam, conſilij; tu ipſa noſti. Neque Regina parens tua Princeps illa Illuſtriſſima, & maximè pia, ſi inter homines eſſet, non meminiſſet, quàm moleſtè tulerit hanc mutationem. Tua inſignis pietas adducit me, vt ſperē fore, vt accipiatur à te beneuolè, cùm ſtudeat ſanctiſſimi Sacramenti honori amplificando in iſtis permagnis Inſulis, quæ in tuâ ditione, ac poteſtate ſunt, quæque communi temporum calamitate prohibentur ea illi honorum officia

perſol

perſoluere , quæ à ſingulis debentur.

Lutetiâ Pariſiorum Londinum cùm diſceſſiſti illis diebus , qui Auguſtiſſimo Sacramento feſti, ſolennéſque pompâ celebri habentur, tùm ex eo coniecere nonnulli eximiâ virtute præditi delectam à Deo te vnam eſſe ad inſtaurandum illius cultum , extruendáſque iterum Aras, quæ temporum iniquitate, & iniuriâ euerſæ ſunt.

Viſa deinde omnia reuocari ad meliorem ſtatum; Quod maiorē attulit ſpem vſurum Deum operâ tuâ

in perficiendâ re feliciter ſuſceptâ, tibique, vt Regis Chriſtianiſſimi ſorori Optimæ, non minori curæ fore de illo tuas inter roſas, quàm fratri ſua inter lilia; ſummis honoribus augendo. Rex ille Maximus, cuius nomen, laudemque cùm virtus bellica, tum pietas, ac Religio ad memoriam ſempiternam propagabit. Benearnenſem Prouinciam armorum ſuorum terrore cùm perculiſſet, ac redegiſſet in ditionem ſuam, veniſséntque & obuiam legati Benearnij quintâ ab oppido Palo leucâ, intelle-

ćturi

ꝺturi ex eo, quo apparatu vrbem ingredi vellet, cùm reſciuiſſet nullam in eâ eſſe ædem ſacram, reſpondit nihil ſibi honoris deferri in eo loco velle, qui careret altari, ad quod ipſe ſupplex accideret, Chriſtúmque, cui Regnum ſuum acceptum referret, ſanꝺè, religioséque veneraretur: Nec ſanꝺius locutus fuiſſet ipſe Ludouicus ſanꝺus, neque tu velles cogitare quidpiam minùs ſanꝺè.

Quæ tuæ ſtirpis fuere per illuſtres fœminæ, eæ ſemper duxere magni amplificare Chriſti nomen, & glo-

riam iis in regionibus,quas nactæ ſunt , eóque veram religionem inferre,quò acceſſere Regiâ dignitate ornandæ. Quæ religio proſcripta fuerat è Britanniâ tum Diocletiani Chriſtianos vexantis crudeli furore , tum Barbarorum Saxonum illò inuadentium ſæuis excurſionibus , ea inibi reſtituta eſt ſtudio, & curâ Ethelberti Regis. Inſtitutus ille quidem , imbutúſque primùm Chriſti præceptis à viro illo celeberrimo Auguſtino, quem ad tuas Inſulas miſit S.Gregorius : at hiſtoriâ teſte ad illud plurimum contulit

tulit pietas animuſque Berthæ coniugis, nobiliſſimo Francorum genere natæ, quæ in eo perilluſtri coniugio operâ Letardi ſancti Antiſtitis, vt tu ſapientiſſimi Ingoliſmenſium Præſulis conſilio, ius, libertatémque Sacrorum retinuit. Quidni ergo ſperemus, te Reginâ, rebus Chriſtianorum æquè felicem exitum futurum, & quos animos coniungit arctiſſimis vinculis & tori, & regni ſocietas, eos etiam primùm verâ religione in terris, deinde in cœlis æternâ beatitudine conſociatum iri tandem

aliquando ? Mariæ Stuartiæ Principis religioſiſſimæ ſanguis in Rege Sereniſſimo ſponſo tuo cùm etiamnum vigeat, atque Auiæ innocentis extrema verba vim ſuam cum tua virtute communicent, an quod præclarè inchoatum eſt opus, imperfectum relinquatur ? Si Helena Britanna primum Monarcham Chriſtianum Chriſtianis peperit, Cur non Chriſtianorum Regum genere nata Princeps alterum pariat Eccleſiæ, cuius in ſinu Maiores ipſius ab Ethelberto vſque ad Henricum V III. ſuſcepti

ſuſcepti ſunt, educatique?
Næ fortunatus erit hic
Chriſtianus, qui nomen
tuum illuſtre præfert in
fronte, ſi tanto conſilio
quidpiam operæ præſta-
bit; aut certè ſi quis in tan-
ta hominum multitudine,
ac Regno pernobili, quod
deliciæ Sanctorum olim
fuit, ex hoc libello pietatis
antiquæ ſacrum ignem ex-
cipiet! Detur hoc illi per
te Regina Ampliſſima, vt
quod in authore deſidera-
tur, id nanciſcatur in te; il-
lum ſumere nemo recuſa-
bit, cùm ipſa tenueris ma-
nu, nec pertædebit legere

cùm ipſe ſit perbreuis, cúmque in eo agatur de diuino congreſſu, ac collocutione in Euchariſtia, quod Sacramentum eſt amoris; nemini non eſt probandus, niſi profanis hominibus, qui, vt noctuæ meridianâ luce capti ſunt oculis. Illum tuam in fidem, & clientelam ſi receperis, cum præclarum tui in religionem ſtudij monumentum poſteris relinques, tum etiam à Deo Optimo Maximo, qui in Reges ſui ſtudioſos munificus eſt, maioribus vt beneficiis te cumulatè augeat, obtinebis.

bis. Atque hoc ſyncero animo exoptat,

Maieſtatis tuæ,

Humillimus, & obſeruantiſſimus ſeruus in Chriſto.

BARTH. IAQVINOTIVS. è Societate Ieſu.

APPROBATIO.

EGo infraſcriptus ſacræ Theologiæ Profeſſor in Collegio Rhemenſi Societatis IESV, teſtor perlegiſſe me eum Librum qui *Chriſtianus ad Aras* inſcribitur, Authore R. P. BARTHOLOMÆO IAQVINOTIO eiuſdem Societatis IESV; Nihilque in eo non eximiæ pietatis, & probatiſſimæ doctrinæ comperiſſe. Atque iſtud ſanè opus, vel eo nomine magni æſtimandum eſt, quòd ſacroſanctæ Euchariſtiæ,

feu

ſeu colendæ, ſeu frequentandæ praxim illuſtrem rationémque ſuppeditat, eámque tum ex ſacrarum litterarum authoritate, tum ex veterum Eccleſiæ Doctorum, Patrúmque ſenſu, tum etiam Religioſorum hominum vſu, factis & exemplis ritè expreſſam; adeóque formandæ, fidelium in mentibus, erga diuiniſſimum Sacramentum, ac fouendæ pietati peridoneam. Quapropter publicâ luce præloque digniſſimum hocce opus cenſeo. Datum Rhemis 1. Februarij 1644.

GERMANVS RIPPAVT.

APPROBATIO.

EGo infra ſcriptus ſacræ Theologiæ Profeſſor in Collegio Rhemenſi Societatis IESV, teſtor me legiſſe Librum R. Patris BARTHOLOMÆI IAQVINOTII, qui inſcribitur, *Chriſtianus ad Aras*, in quo nihil vidi quod non ſit maximè doctrinæ Orthodoxæ conforme valde ad promouendam pietatem erga Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Datum Rhemis die 25. Ianuarij, 1644.

EMILIANVS VAVSSIV.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunenſi.*

ANTONIVS MILLIEVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis HENRICO III. 10. Maij, 1583. HENRICO IV. 20. Decembris 1606. & LVDOVICO XIII. 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque ſuperiorum permiſſione imprimant. Permitto LAVRENTIO ANISSON Bibliopolæ Lugdunenſi, vt Librum cui inſcriptio eſt, *Chriſtianus ad Aras*, Authore R. P. B. IAQVINOTIO, ad decem proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni die 18. Ianuarij 1646.

ANTONIVS MILLIEVS.

INDEX CAPITVM QVÆ HOC OPVSCVLO continentur.

Cap. I. CVM *ſacra Euchariſtia ſit thronus gratiæ, ad eam accedere, eámque viſere ſæpiùs Chriſtianorum omnium intereſt plurimi.* 1

2. *Elucet ex hoc gratiæ ſolio Lumen diuinum, quo & il-luſtren*

illuſtrentur, & incendantur animi eorum, qui ad illud accedunt. 11

2. Gratiæ, quæ ex hoc Auguſtiſſimo Throno emanat, vis, & efficacitas, perinde eſt, vt quiſque præparato animo ad illum accedit. 22

4. Affectiones animi tres, quibus continetur dignus apparatus ad hunc gratiæ Thronum, vt par eſt, viſendum; ac primùm de fide. 26

5. Fiducia modeſta, affectio altera animum præparans. 46

6. Affectio tertia ſingularis animum præparans, vacuitas

tas cupiditatis omnis lethiferæ. 53
7. *Quo S. Sacramentum viſendum eſt animi propoſito.* 61
8. *Continuatio eiuſdem Argumenti.* 69
9. *De conformatione Corporis in viſenda Euchariſtia aptâ.* 86
10. *De loco huiuſce viſitationis.* 97
11. *De tempore idoneo.* 106
12. *De iis, quæ in his viſitationibus agenda ſunt, ac primùm de laudibus.* 114
13. *De poſtulationibus, ac petitionibus.* 123
14. *De gratiarum Actionibus.*

bus. 130

15. *De Communione Spirituali, quæ eſt actio alia idonea, cui in viſendo Sacramento detur opera.* 136

16. *Vſus communionis Spiritualis huius viſitationis tempore.* 142

17. *Imitatio nonnullarum viſitationum, quarum meminit hiſtoria Euangelica, ad illarum exemplar noſtræ vt informentur.* 155

18. *Imitatio altera ſimilium viſitationum.* 161

19. *Aliud genus actionum peculiarium, quæ ad idem inſtitutum pertinent pro noſtrâ ad Deum ratione.* 166

20.

20. *Aliud genus actionum peculiarium, quæ eodem ſpectant noſtri ratione habitâ.* 172

21. *Speciatim pro rebus ſecundis, & aduerſis.* 180

22. *Excuſatio nonnullorum, quo minùs hoc pietatis munus obeant, ſumpta à metu, quem ſimulant, minoris venerationis.* 188

23. *Excuſatio altera animi non idonei ad illa munera ritè obeunda.* 195

24. *Excuſatio alia languidioris ad pietatem ſtudij.* 199

25. *Continuatio reſpõſionis.* 206

26. *Excuſatio alia eorum, qui hac viſitatione abſtinent cauſati*

cauſati nihil admodùm fructûs inde abs ſe percipi. 211

27. *Continuatio eiuſdem confutationis.* 217

28. *De tribus, quæ peccare quis poteſt in hoc viſitationis munere obeundo; ac primùm de interiore irreuerentiâ.* 222

29. *Erratum alterum, irreuerentia corporis.* 227

30. *Erratum Tertium; Pietas inordinata.* 239

31. *Summa huius exercitationis piæ.* 246

32. *Hæc pietatis exercitatio confirmatur exemplis.* 150

Viſitationes quotidianæ Sancti

cti Sacramenti. 262
33. *Concluſio generalis huius libri.* 271
Meditatio de Sancto Sacramento. 278
Punctum 1. 279
Punctum 2. 282
Punctum 3. 287
Colloquium. 289

CHRISTIANVS AD ARAS,

AVGVSTISSIMÆ EVCHARISTIÆ DEBIta piæ, ac religioſæ in eâ viſendâ Salutationis officia perſoluens.

CAPVT PRIMVM.

Cùm ſacra Eucharistia ſit thronus gratiæ, ad eam accedere, eámque viſere ſæpiùs Christianorum omnium intereſt plurimi.

1. DIVINO Numini ſedes Regiæ tribuuntur duæ in Sanctis litteris, gloriæ vna, altera gratiæ.

ſidentem in illâ Deum Regis ſplendore, & ornatu conſpectum abs ſe
c.6.v.1. commemorat Iſaias: ad hanc verò
ad Hebr. 4.1.6. animo vt fidenti adeamus, S. Paulus hortatur. Illa viſitur in Cœlo Empyreo: hæc in terris. In illâ Deum claro obtutu cernere felicitas eſt Eccleſiæ Triumphantis: eumdem in hac Sacramenti velo obtectum, fide, cultu, & amore venerari ſumma eſt beatitudo Militantis. Ad illam ſemper aſtant Cœlites beati: ad hanc accedunt, quàm ſæpiſſimè poſſunt, Chriſtiani pij. Illius cupiditatem nobis vt inii-
Apoc. 7. 9. ciat D. Ioannes, refert viſam abs ſe fuiſſe hominum multitudinem maximam, qui albâ in veſte, ac palmis Ouantes, oculorum aciem in illam defixi intenderent: Idem verò Apoſtolus, nos ad hanc vt alliciat, eam proponit ob oculos conſtitutam Solymæ nouæ, quam Eccleſiam interpretor, in Vrbe mediâ, aſſeritque ſuis exceptam auribus emiſſam inde vo-
Apoc.21. 3. cem ſuauem, ac periucundam. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.*

2. Et verò huc pertinet in primis, quod

quod pollicitus eſt olim Deus, Leuitici c. 26. v. 11. 12. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abiiciet vos anima mea; Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, vóſque eritis populus meus.* Rem ipſam iam animo proſpiciens Dauid, certúſque de euentu. *Propè timentes eum*, inquit, *ſalutare ipſius, vt inhabitet gloria in terrâ noſtrâ.* *Pſal. 84. 10.* Hoc deinde confirmatur à Deo verbis Ezechielis Prophetæ. *Percutiam illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit eis, dabo ſanctificationem meam in medio eorum, & erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipſe mihi erunt populus.* *Ezech. 37. 26. 27.*

3. Næ fortunati Chriſtiani, qui tanto beneficio perfruantur: at in Chriſtianis fortunatiſſimæ familiæ Religioſæ, quibus non egreſſis domo, ſed intrà eoſdem parietes commorantibus præſto eſt Deus ſuus tam commodè, ad eum adire vt liceat, quantùm, & quàm ſæpe libuerit, non dè die modò, ſed etiam de nocte, eo vti familiariter, vt aſſolet quis amico ſibi coniunctiſſimo, æger fidiſſimo Medico, filius patri optimo, ſponſo

chariſſimo ſponſa, eum in negotiis conſulere, aperire ægritudines animi, opem, auxiliúmque poſcere, cum eſt opus.

4. Si enim, qui ad illum acceſſere tùm cùm in terris degeret, gratiæ quidpiam conſecuturi, aut ad corporum valetudinem, aut ad animorum ſolatium, ij ſemper experti ſunt eum eſſe, qui, & liberali gratificandi voluntate petitionem præuerteret, & deſiderij magnitudinem beneficij amplitudine ſuperaret; quid non afferet commodi, quam in hoc Sanctiſſimo Sacramento facit nobis peropportunè ſui, ac rerum ſuarum copia?

5. Illum mori oportebat, quò reuocaremur ad vitam, cùm in ipſius morte ſpes nobis eſſet ſalutis propoſita: eumdem in Cœlum euehi ad noſtri patrocinium ſuſcipiendum poſtulabant quotidianæ hominum noxæ; Ita illo carere neceſſe erat. Verùm quid amore diuino perfectum eſt? Modus inuentus eſt ſanè ſuauiſſimus, quo nobis adeſſet ipſe præſens, & in cœlo reſidens ſimul in terris commoraretur. Nimirum certum eſt illum in

ſacrâ

ſacrâ hoſtiâ eundem naturâ eſſe, qui olim inter homines fuit; atque hoc vno à ſeipſo differre, quòd tùm daret ſe hominibus in conſpectum: nunc autem oculorum aciem fugiat vti fidei, & ſtatûs, in quo verſamur, ratio, léxque poſtulat.

6. Quâ præditus eſt in Cœlo gloriâ, ea certè magnum ornamentum affert, decúſque ſacro Corpori: at idem colitur ſuper Aras, quod ad Patris dexteram collocatum eſt; neque illo reapſe minùs verè, qùam Cœlites perfruimur. Quod ſingulare beneficium priſcis hominibus negatum, & adumbratum duntaxat certis figuris ad hæc tempora reſeruatum eſt, quibus rem ipſam tenemus, etſi inuolutam, & latentem, quæ in Cœlo aperta eſt, ac patens. Promiſſa illa quidem olim fuit Iſraëlitis: at conceſſa Chriſtianis. Quòd ſi velis obſcuris etiamnùm obtenditur, confert plurimùm iſta obſcuritas ad felicitatem promerendam, in quâ vel occultiſſima myſteria enunciabuntur. Viſum eſt ſapientiſſimo rerum Moderatori Deo hunc teneri ordinem.

oportere in nobis ad ſtatum perfectum perducẽdis, vt quemadmodùm naturâ duce à pueritiâ ad adoleſcentiam, ab adoleſcentiâ ad virilem ætatem peruenitur: ita à lege ad gratiam, à gratiâ ad gloriam aſcenderetur, eſsétque nobis gradus ab antiquis ænigmatis ad rem adumbratam, ac tamdem à veritate obſcurâ ad eiuſdem claram, manifeſtámque lucem. Ex quo conſequens eſt, vt qui ad nos deſcendit Dei Filius, non relicto Patris æterni ſinu, is ad ipſum reuerſus ſeſe nobis præſentem adhibeat, receſſerit à nobis, non diſceſſerit; non cernatur ille quidem, ſed habeatur, Cœlo ſit receptus, nec à terris abſit. *Elias ipſe Thesbites*, inquit Chryſoſt. *pallium reliquit diſcipulo: nobis carnem ſuam Chriſtus Dominus moriens. At Elias depoſitum pallium non retinuit: Chriſtus verò carnem ſuam, etſi nobis vltrò datam, ſecum tamen extulit in Cœlum euectus.*

Homil. 2. ad popul. Antioch.

7. Cùm hominum amore ductus humanæ carni ſe mirificâ communione iunxit, hanc ille ſui participem fecit; hîc nouo quodam animi ardore videtur

videtur fuiſſe largitione quodammodò effuſior; profundit ille carnem eamdem, ac dono datam Eccleſiæ, propoſitámque ſuper Aras offert vnicuique noſtrûm ad ſuos vſus; perinde certè ac vberrimus fons ſuopte pondere manare ſolet, ac fluere in ea, quæ ſunt inania, ac vacua, eáque pro ipſorum capacitate replere.

8. Tanti operis conſilium tùm ab eo ſuſceptum eſt, cùm homo cœpit eſſe in aluo Virginis genitricis ſuæ. Nouit inibi, quem ad gradum ſanctitatis naturam ſuam humanam euexiſſet Pater ſuus; Iniecta tùm cupiditas referendæ gratiæ, & ſimul hæc cogitatio illam redditum iri præclarè tum hominum redemptione, tum illatæ diuino Numini iniuriæ compenſatione; tametſi nunquam id abs ſe perfectum iri, niſi labore multo, atque adeò honoris ſui impendio intelligeret; accepit tamen conditionem prompto, & alacri animo, corpúſque ipſum, quo iam, iámque donatum erat, præbuit ex templò in hoſtiam immolandam, aliquando non modò ſuper crucem ſacrificio

cruento, ſed etiam non cruento ſuper aras. Quo etiam in loco ipſe commoraturus eſſet ad animos tum reficiendos, tum recreandos ab huius exilij labore, ac mœrore.

9. Cùm tantâ beneuolæ in nos voluntatis ſignificatione freti ſimus, probéque intelligamus, quàm vera ſint huius Sacramenti myſteria, ecquid eſt, quod nobis antiquius debeat eſſe, quàm Deum noſtrum in hac ſede gratiæ viſere, ac videre ſæpius? Quid nobis poteſt obtingere optatius, quàm cum illo conſuetudinem iungere, nec ab illius latere diſcedere? Quid in hac vitâ mortali iucundius, quàm illi præſentem adeſſe, qui cum liceat agere coram, quíque opituletur malis noſtris? Nónne hæc ſedes Regia perſonat his peramicis vocibus, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Si enim vbique, vt ſummum bonum, ſummè bonus eſt, ac munificentiſſimus, cùm exhibeat hîc ſeſe gratiâ ſingulari, facilè adducor, vt credam inuitari nos ab eo, vel huc maximè, vt donis cumulemur

Matth. 11.28.
Ioan. 7. 37.

mulemur, ac leuemur ærumnis. Neque prætermittendum allici nos inuitatione ſuaui, non vi, ac minis compelli. Enimuerò ad ſolium gloriæ aſtant in Cœlo illius cohoneſtandi causâ de Cœlitibus Principes ſeptem; quorſum ergo, cùm Sedem gratiæ, in quâ, vt in Beatorum domicilio, conſideat, ſibi fixerit in terris, non eſt ab eo cautum, vt locum illum ab officio deſertum eſſe minimè pateremur, ſed noſtrûm aliquis ſemper adeſſet, qui eum religiosè, ſanctéque veneraretur? Vim nobis afferri noluit lege impoſitâ, ſed maluit nos ad hoc genus honoris tribuendum ſuauiter, ac ſponte induci; *Non quo numen ſuum continere vellet*, Tum à proſpiciendâ, tum à puniendâ illorum culpâ, ſi eſſent qui, aut contemptione, aut agreſti negligentiâ huic officio defuturi, non ſine magno & diuinæ gloriæ, & rerum ſuarum detrimento. Profectò id culpæ, quod argumento eſſet & fidem, & religionem in illis deſiderari, foret eiuſmodi, quod nec diſſimulari poſſet, nec impunitum, ac inultum dimitti. O felicem Chriſtia-

num, qui prudentiori conſilio conſtituit, animo proſequi Deum ſuum, ac Dominum his honoribus, nullúmque prætermittere, quo non euadat locupletior his donis, quæ munificè impertiuntur iis, qui hoc diuinæ miſericordiæ ſolium, vt par eſt, inuiſunt. Quòd ſi mortem, quam vitare nemo poteſt, non effugiat, audeo ego illi repromittere, præſtaréque fore, vt in fidei ſuæ, conſtantíſque animi præmium, diem illum naturæ pertimeſcendum tranquillè obeat, eâ nimirum ſpe, nec incertâ fretus à Deo miſericorde, cuius thronum ſanctè coluerit, dum viueret, ſuſceptum iri cauſam, defenſionémque ſui poſt obitum pro terribili Dei Iudicis Tribunali, ac demum de felicitate ſempiternâ optatam pronunciatum iri ſententiam.

CAPVT

CAPVT II.

Elucet ex hoc gratiæ ſolio Lumen diuinum, quo & illuſtrentur, & incendantur animi eorum, qui ad illud accedunt.

1\. VT hebetem eſſe, ac obtuſum ad ea intelligenda, quæ ad Deum pertinent, & ſalutem ſuam, ſumma eſt in hac vitâ hominis miſeria: ita mente præditum eſſe acri, & perſpicaci ad illa percipienda, ſtudióque illa conſequendi inflammato teneri, pro maximo beneficio, quod ſatis æſtimari non poſſit, habendum eſt. Daniel Propheta cùm grauem, ac miſerabilem caſum infamium illorũ ſenum, qui ſpe abiectâ nefariæ libidinis explendæ, perniciem moliti fuerant Suſannæ fœminæ caſtiſſimæ, ac integerrimæ, deſcribit, non aliam tanti mali cauſam affert, quàm ipſorum cæcitatem, *declinauerunt oculos ſuos, vt non viderent Cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum.* Ita S. Paulus, quòd nonnullorum animi Daniel. 13. 9.

Euangelium aſpernarentur, in hoc vnum confert, quòd *Deus huius ſæculi* (qui Cacodæmon eſt) *excæcauerit mentes illorum.* Contrà verò ſalutem Orbis vniuerſi tribuit Iſaias lumini quod à Chriſto eluxit. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.*

2. ad Cor. 4.4.

Iſaias 9. 22.

2. Cuius lucis impertiendæ rationem ille iniit præcipuè triplicem, vitæ ſanctitate, ſplendore doctrinæ, & Sacramentorum vi. Impertitur illa quotidie virtute Baptiſmi, cui nomen ideircò *Illuſtrationis* poſitum à S. Dionyſio, & Patribus perantiquis, vt qui primùm noſtris myſteriis initiati dicuntur D. Paulo *Illuſtrati.* Baptiſmum excipit Confirmatio, quæ lucem hanc deinde auget, confirmátque. Quòd ſi lethiferâ tabe extinguatur, vel leuiori noxâ hebeſcat, præſtò eſt Sacramentum Pœnitentiæ, quo in priſtinum ſplendorem reſtituatur. Cùm autem ſacra Euchariſtia in Sacramentis, vt Sol in Planetis, principatum teneat, ab eâ certè multò plus lucis emanat ob amorem

S. Dion. Areop. Hier c. 2. Clem. Alex. l. 1. Pæd. c. 6. Gregor. Nazianz. 40.

illum

illum ſanctum, ſensúmque pietatis, quem illius vſus poſtulat, quémque ipſa auget inflammans animos piis deſideriis, quibus incenſi multa præclarè gerunt, quæ non poſſunt non eſſe Deo, & cœlitibus accepta, iis à quibus proficiſcuntur, perutilia; atque etiam aliis, quibus ſunt exemplo, ſalutaria. Exploratius illud, magíſque compertum habetur in dies ipsâ experientià non modo eorum, qui ſacro epulo honeſtè, ac laudatè accumbunt, ſed etiam aliorum, qui hæc religioſæ Salutationis, quâ de de agimus, officia vſurpant. His venit idem vſu in hac perturbatione vitæ, magnáque rerum confuſione, quod accidit aquæ illi turbidæ, ac pingui, quæ Machabæorum Principum ætate educta fuit è puteo, in quo ſacer ignis reconditus fuerat; vt enim aqua illa ſimul ac prolata eſt in lucem, à Sole exarſit; ita illi cùm ad hunc gratiæ Thronum qui, vti canit Pſalmographus, inſtar Solis ac Lunæ perfectæ ſplendet, ſiſtunt ſeſe, accenduntur illico diuino amore, & perfunduntur eâ luce quæ offuſam

Machab. l. 2. c. 1. 22.

Pſ. 88. 38.

Barrad. tom. 4. l. 8. c. 11.

menti

menti caliginem vi ſuauiſſimâ diſpellat. Quòd ſi quid ſuperſit, id datâ operâ remanet magno illorum bono.
Pſ.33.6. *Accedite ad eum,* inquit Dauid, *& illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.*

3. Hâc ratione aperti ſunt oculi Diſcipulis duobus, qui proficiſcebantur
Luc.24. ad caſtrum Emauntis, *dum recumberet*
30.31. *cum eis,* (inquit Lucas) *accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis; & aperti ſunt oculi eorum.* Anteà capti erant oculis, nec Dominum, qui cum ſermone miſcebant, agnoſcere poterant; verùm ſtatim, vt ille panem ſacrum ipſis præbuit, cùm eum nondum manu tenerent, & antequam ore ſumpſiſſent, acies, non ſolùm corporis, ſed mentis reſtituta illis fuit, cibi præſentis vi mirificâ, qualis lucidis corporibus tribuitur. Nam ita *cùm*
Dion. Eccl. Hier. c. 3. *illis agitur* (ait S. Dion.) *qui ad hæc myſteria puri, ac mundi accedunt, Ab his ipſi vndique colluſtrantur clariori, ac ſplendiori luce Diuinitatis. Nimirum*, addit
Ibid. ille, *fulgor lucis altioris gaudet emittere lumen ſuum in ea, quæ ipſum referunt, ſpecula.*

4. Narrat

4. Narrat Ruffinus Hiſtoricus cuidam Epiſcopo viro ſancto, conceſſu Dei, atque munere datum, vt quo quiſque animo ad Aras accederet, ex ipſo acceſſu agnoſceret. Qui enim mente purâ, & integrâ eò adibant, iis inſidebat ſpecies oris pulcherrima, & collucens. Quod certè non videbitur incredibile, ſi nobis in mentem venit Moyſis, qui à conſpectu, & colloquio Angeli in Sinâ monte vultu adeò ſplendido extitit, vt illum intentis oculis intueri coram vererētur Iſraëlitæ. Iethri ſoceri ſui gregem cùm adhuc ille regeret, ſpectaſsétque procul rubum tam admirabili ſpecie, vt ab igne ardens non combureretur, & cuperet id portenti cernere propiùs, comperit effectum eſſe ab Angelo, qui cum aliquandiu ſermonem habuiſſet, ſenſit ſe ab eâ collocutione tot tantiſque cumulatum donis, vt Ioſeph Patriarchæ Tribui benè poſtea precaturus, hac fuerit vſus formulâ *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazaræi inter fratres ſuos.* Quid verò de illo factum fuiſſet ſi cum ipſo

Ruff. 13. de vit. PP. num. 166.

Exod. 34. 30. & 2. ad Cor. 3. 7.

Exod. 3. 1. 2. 3.

Deuter. 33. 16.

ipſo Deo in collocutionem veniſſet? Quem fructum non cepit Zachæus, vel ex vnico Domini aſpectu? *Qui inquirunt Deum* (inquit Propheta,) *non deficient omni bono.*

Luc. 9. 30.
Pſalm. 33. 10.

5. S. Thomas Aquinas, cui cognomen Doctoris Angelici iure partum, Academiæ lumen, ac Theologiæ ſummus Magiſter, vir in ſanctis doctiſſimus, in doctis ſanctiſſimus, percunctanti, quî tantum doctrinæ ſibi comparâſſet? reſpondiſſe fertur, id ſibi datum potiùs cœleſti gratiâ, quàm labore comparatum, nec tam eſſe rem operæ, & ſtudij, quàm orationis, & precum. Quas ſanè preces adhibebat ille, præſertim ad aras tanto animi oblectamento, vt plurimas profunderet lacrymas, ac ſæpenumerò hæreret contemplatione, admirationéque defixus earum rerum, quæ ipſi clarè obiiciebantur. Ex quo ortum eſt, quod perhibetur, etſi in reliquis myſteriis explicandis, Doctoribus aliis antecelluerit, in hoc tamen ipſum ſeipſo fuiſſe ſuperiorem. S. Franciſcus dum viueret, cùm hominem Seraphicum ardentiſſimo in

Ribad. in eius vitâ.

Iac. Suar. Conc. 6. de SS. Sacr.

Deum

Deum amore præſtabat ſeſe in communi aliorum vſu, & conſuetudine: tum verò, cùm res ipſa, ac tempus ferebat, altâ quâdam, & eximiâ intelligentiâ Cherubino ſimilem. Quam rerum ſcientiam cùm ſibi minimè peperiſſet arte ſuâ, & induſtriâ, vti notum omnibus, reliquum eſt impertitam illi fuiſſe Dei dono, atque tùm maximè, cùm ad ſacrum pegma ſanctæ Euchariſtiæ, aut ciborium (Arcam diuini luminis appellat S. Germanus Conſtantinopolitanus Antiſtes) aſſiduus oraret dies, noctéſque eâ reuerentiâ, & cultu, vt ſtaret ſemper, nec pariete, nec re vllâ nixus. Quod etiam cauſæ fuit, cur Galliam cogitaret, in quâ Auguſti Sacramenti cultum vigere plurimùm rumor erat. Idem aſſeuerare poſſim de ſanctis Catharinâ Senenſi, Brigittâ, Thereſiâ, & compluribus aliis fœminis, quæ ex eodem fonte nullâ librorum ope tantùm hauſere doctrinæ, vt doctiſſimi quique eâ ætate in illarum diſciplinam tradere ſeſe honori ducerent. Neque profectò mentiar ſi etiamnum ſuperſtites eſſe dixero illis ſimiles.

In Chron. Minor. in vitâ S. Franc.

ſimiles mihi notiſſimos, in quos illud
Deut 33. 3. Moyſis bellè cadat. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrinâ illius.* Contrarium euenit hæreticis, qui quòd ab Aris noſtris, & corpore, & animo diſceſſerint, eò ignorantiæ aliorum myſteriorum deuenere, vt quamuis vnum de illis, Baptiſma, inquam, aut admittant, aut admittere præ ſe ferant; in eo tamen profitendo adeò parum ſibi conſtent, illius vt neceſſitatem negent alij; alij formam; materiam alij in diſputationem adducant, rem quiſque opinione ſuâ, & ſenſu metiatur. Quæ certè pœna digna eſt illorum infidelitate.

6. Neque verò fefellit nos Chriſtus,
Ioan 9.5. cùm aſſeruit *Quandiu in Mundo eſſet ſe Mundi lumen eſſe.* Vitam morti obnoxiam cùm ageret, lumen in terris fuit tum doctrinæ, ac miraculorum, tum ſanctitatis illuſtri ſplendore. Ex quo ad Cœlos aſcendit, collucet illic perinde ac præclarus Sol, lucémque quâ Cœlites ipſi beati fiant, emittit è ſede ſuâ ſempiternâ. Quid ergo commoretur nobiſcum in ſacrâ Euchariſtiâ, nec tenebras depellat? imò verò

pro certo habendum eſt, quemadmodum in Moyſem, & Eliam in Transfiguratione, quòd Chriſti, corpori propiores eſſent, plus luminis emiſſum fuit; & quò Soli viciniores ſunt nubes, eò magis ab illo collucent; vapórque quò ſublimius fertur, eò extenũatur magis, fitque cœleſti naturæ ſimilior: ita, quò magis ad S. Sacramentum accedimus, eò maiorem claritatem, amplioremque gratiam in nos inde proficiſci. *Luc. 9. 30.*

7. De Sole illo qui cernitur, perhibent ſacræ litteræ, quoties curſu inhibito conſtitit, toties conſecutum fuiſſe mirabile quidpiam, & ſingulare, qualia fuere, quæ Ioſue, Iudith, ac Ezechiâ Rege acciderunt; ità certum, exploratúmque nobis eſt à Chriſto Saluatore, quem Solem Iuſtitiæ futurum prædixere Prophetæ, vbicumque tantiſper haberet, inibi præclara beneficentiæ veſtigia relicta fuiſſe. Teſtis Cana vrbs illa Galilææ, vbi celebratum nuptiale conuiuium ſuâ præſentiâ cohoneſtauit; Teſtis puteus ille, qui à Iacobo Patriarchâ nomen traxit, ad Sichar oppidum, propter *Ioſ. 10. 12. 4. Reg. 20. 21. Ioan. 2. & 4. & 13. Luc. 7.*

pter quem puteum feſſus de viâ conſedit. Teſtis domus Simonis Phariſæi,in quam ingreſſus eſt; teſtes epulæ cum Publicanis; atque, vt cætera præteream, fidem facit ſacrum illud conclaue, in quo cum diſcipulis diem feſtum Paſchatis celebrauit: ſcilicet conſideat ille in terris nobiſcum, nóſque deſpiciat ante Aras abiectos, & proſtratos, ac tandem abs ſe dimittat expertes ſui? non miſereatur inopiæ noſtræ? ſpe, ac promiſſis priuet? Cùm in Euchariſtiâ æquè habeatur Sol iuſtitiæ,& ſanctitatis, ac inter homines cùm verſaretur. An tanti Solis, qui *omnem hominem,qui venit in Mundum,colluſtrat*, lumen deficeret, & extingueretur in tantis ſalutis æternæ periculis, quæ nobis intenduntur? An iuſtitia illa, & ſanctitas ad quam inuitare nos, & allicere non ceſſat, tùm nobis denegetur, cùm aures adhibemus vocanti, imploramúſque diuinam opem, quâ liberemur à vitiis?

Malach. 4.2.

8. Quare agè,hac ſpe recreentur animi Chriſtianorum, ac periculi faciendi gratiâ ad hanc Munificentiæ,

ac

ac liberalitatis ſedem accedant. Hîc cœleſtium fides confirmatur, augetur prudentia, ſapientia res ſublimes peruadit, ſcientia inferiores diſpicit, intelligentia in diuinorum myſteriorum ſenſum penetrat, conſilium mentem dirigit, cùm illa hæret, ac pendet, voluntas amore virtutis incenditur; Memoria venit in obliuionem voluptatum, rerum fluxarum vanitas perſpicitur, inde bonorum, quæ numquam interitura ſunt iniicitur ſancta cupiditas. Ecquis ergo adeò frigidus, qui non inflammetur? adeò languidus, qui non excitetur? adeò ſopitus, qui non expergiſcatur? adeò tardus, qui ad perennem gratiæ, & luminis fontem non aduolet? *Domus Iacob*, ait Iſaias, *venite, & ambulemus in lumine Domini.* *Iſaia. 2. 5.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

CAPVT

CAPVT III.

Gratiæ, quæ ex hoc Auguſtiſsimo Throno emanat, vis, & efficacitas perinde eſt, vt quiſque præparato animo ad illum accedit.

1. TErreni Principes non faciunt cuilibet ſui conueniendi poteſtatem; ſui ſunt illis ſatellites armati, ſui ſtipatores corporis, qui aditu aliquos arceant. Adeò difficilem hac
Eſth.4.11. in parte ſeſe præbebat Aſſuerus, capitis pœna vt aſcripta eſſet ei, qui non vocatus nominatim Regium conclaue auſus fuiſſet ingredi. Facilior eſt ad Deum noſtrum acceſſus, patet omnibus liber ad illum aditus,
Pſ.93.14. *Non repellet Dominus plebem ſuam*, inquit Rex Hymnopæus. A ſui cõgreſſione, ac familiaritate prohibet eos ſolos, quos indignos iudicauerit. Qui ſi digni euaſerint, admittuntur illico, accipiuntúrque eò liberaliùs, quò fuerit ab illis adhibita præparatio diligentior. Atque in hanc curam nobis incumbendum eſt, vt in Regis ampliſſimi

ampliſſimi conſpectum non veniamus moribus inhoneſtis, & malè compoſitis. *Si Regi Babylonio*, inquit S. Chryſoſt. *delecti ſunt de captiuorum numero iuuenes honeſtiſſimi, ac vultu, & corpore pulcherrimi; decet profectò multò magis, qui ad Aras aſtant, eos eſſe animo formoſos, aureo ornatu, veſte nitenti, ac reliquo habitu Regio inſignes.* *Chryſoſt. hom 5. in 1. ad Tim.* *Dan. c. 4.*

2. Tametſi ros ille diuinus, cui nomen erat Manna, omnibus efflueret olim in locis deſertis: non omnium tamen erat variam illius ſuauitatem ſapore percipere, ſed virorum duntaxat ſanctorum, atque adeò eò iucundius, quò erant ſanctiores: in Tabernaculo illo vetere, in quo nulla viſebatur diuini Numinis effigies, poſitum pro foribus fuit Dei iuſſu labrum ſpeculis inſtructum, in quibus ſinguli ſeſe intuerentur. Quò certè monitos voluit eos omnes, qui illò introirent rogaturi quidpiam, ſeſe vt contemplarentur, introſpicerentque animi ſtatū, quales enim illi in ipſum forent, talem eum in ipſos futurum. *Aug. retract. c. 20.* *Abul. Exod. c 16. q* *Lyran. c. 16. Sc* *Exod. 3 8.*

3. Sic nobiſcum agit in hoc Sacramento Deus infinitè ſapiens ſibique

ſemper

ſemper conſtans. Quare huius piæ ſalutationis fructum ex ipsâ animi noſtri præparatione coniicere licet, ac pro certo habere, huic illum omnino reſponſurum magnum magnæ, mediocri mediocrem, exiguæ exiguum, ac demum nullum nulli. Etenim (fauorem extraordinarium ſi excipias) gratia naturam imitatur efficiendo, vímque accommodat ſuam ad captum eorum, in quos incidit. Mulier illa vidua, quæ Elizæi Prophetæ opem efflagitauit, quâ ſuam ſuſtentaret egeſtatem, olei copiam deſiderio parem non obtinuit, ſed magnitudine vaſorum, quæ ipſa è viciniâ collegerat;ità inducamus animum non plus gratiæ è ſede miſericordiæ in nos effuſum iri, quàm tulerit parata mens. Quòd ſi quis noſtrûm ſecus ſentiret, falleretur ille ſine dubio ſuâ ſpe, & expectatione.

4. Reg. 4. 6.

Iſaiæ 28. 17.

3. Fit verò hîc à Deo, quod verbis Iſaiæ edixit, *Ponam in pondere Iudicium, & iuſtitiam in menſurâ*, atque hoc exigit lex ſapientiæ, quæ ſuam operam diuinæ beneficentiæ ſemper præſtat, Zachariæ Prophetæ amphoram

ſam cùm oſtendiſſet Angelus, ſubiecit *Oculum eorum eſſe in vniuersâ terrâ*, oculum, inquam, hominum, non quo ipſi vtuntur ad cernendum, ſed quo illos ſpectat Deus. *Creauit enim*, ait Eccleſiaſticus, *de terrâ hominem, creauit ex ipſo adiutorium ſimile ipſi, poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum.* Illud eſt cor, in quod diuinus ille oculus, qui peruadit omnia, ſemper aciem intendit, mentem vt introſpiciat; atque pro animi præparatione gratificationi ſuæ modum ſtatuit. *Zach. 5. 6.* *Eccleſ. 17. 1. 5. 7.*

5. Hoc ſignificatum D. Bernardo, dum in Choro cum fratribus caneret, à cœlitibus benè multis, quorum alij, quod notauerant, literis aureis conſcribebant, alij argenteis, alij atramento, aquâ alij, cæteri nihil omnino ſcripto mandabant. Quod ſcripturæ genus varium indicio erat, etſi adeſſent omnes pro ſacro Altari: non tamen eumdem eſſe omnibus animi ſtatum, ex quo fieret meritis eſſe alios aliis diſpares. *In Chron. Ord. Ciſterc.*

6. Longè igitur alia eſt ratio eorum, qui huic officio pietatis ſtudent, quàm puellarum, quæ adductæ olim fuere

Eſt. 2. 15. in Aſſueri Regis conſpectum. Cæteris antepoſita fuit Eſther, quæ ornatûs ſui, & cultûs minorem curam habuerat, ac Regio donata diademate Regi nupſit; at verò hîc nemo accipitur benè, niſi paratus veniat, & qui paratiores ſunt, ij beneficiis cumulantur amplioribus. O fortunatum eum, qui tam inſtructus, excultúſque accedit, in eum vt bellè cadat, quod B. V. dictum olim fuit à Gabriele Ar-
Luc. 1. 30. changelo, *Inueniſti gratiam apud Dominum!*

CAPVT IV.

Affectiones animi tres, quibus continetur dignus apparatus ad hunc gratiæ Thronum, vt par eſt, viſendum; ac primùm de fide.

1. Speciatim vt viſatur vtiliter hic thronus, neceſſe eſt animum inſtructum eſſe virtutibus præcipuè tribus, huiuſce Myſterij fide, magnâ, modeſtâque in Authoris bonitate fiduciâ, ac eius amore adeò puro, & integro,

integro, nihil vt culpæ lethiferæ admittat, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo; credere oportet accedentem ad Deum quia eſt.* Fateor equidem in Religionis noſtræ myſteriis nullum eſſe magis remotum à ſenſibus; nullum inuolutum magis, & obſcurum, atque ex quo occurrerit Cacodæmoni occaſio maior inſiliendi in homines, eorúmque fidem tentandi vehementius. Verùm nullum eſt etiam, cuius veritatem firmiùs aſſeuerauerint ſacræ litteræ, confirmauerint ſæpiùs miracula; docta, & ſancta Antiquitas ſuâ authoritate meliùs comprobauerit, cui veritati fidem, vt adhibeamus & illa nos inducit ſuo exemplo, & impellit ardor excelſarum illarum mentium, quæ etiamnùm hodie rem tam certò credunt, quàm ſi eam expreſſam oculis cernerent, aut velut in Sole deſcriptam perlegerent. *Ad Hebr. 11.6.*

2. Enimuerò ex ipsâ tum promiſſionis, *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ*, tum donationis, *Hoc eſt corpus meum*, formulà liquido conſtat Authoris voluntas. Deinde Synagogæ vmbram, Eccleſiæ rem ipſam *Ioan. 6.51* *Matth. 26 26.* *Marci. 14. 22.* *Luc. 22. 19.*

ad Hebr. 10.1. tribuit Apoſtolus, *Vmbram*, inquit, *2. ad Cor. 11.24.* *habet lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum.* Prætereà, quod in lege Veteri adumbratum fuit, id in nouâ perfectum oportuit. Quippe certiſſimum eſt huius diuini Sacramenti adumbrationem quãdam fuiſſe, in ſtatu innocentiæ Arborem vitæ; panem, & vinum Melchiſedecis in Lege Naturæ; in Lege ſcriptâ Agnum Paſchalem, Manna, Panes, quos Primitiarum, & Propoſitionis appellabant, ſanguinem fœderis, placentam Eliæ, farinam quam auxit Propheta benè precatus. Quòd ſi tantum donum conceſſum Eccleſiæ ſignum eſſet duntaxat inane rei ſignificatæ, conſequeretur profectò, promiſſis non ſtetiſſe Chriſtum, mentitum fuiſſe Apoſtolum, legem Veterem à nouâ minimè perfectam, priſcorum Patrum figuras figurarum figuras extitiſſe, vmbræ vmbras, imaginis imagines; cùm tamen imago naturâ ſuâ rei certæ ſit, vmbra veri corporis, figura veritatis non dubiæ. Conficeretur etiam inde non plus acceptum à filio, quàm à famulo, à Chriſto,

Chriſto, quàm à Moyſe; legem gratiæ legi ſeruorum minimè antecellere, nec Synagogæ Eccleſiam, nec Iudæis Chriſtianos. Atque hoc cùm abſurdiſſimum videatur hominibus illis fideliſſimis, quod aſſeritur ab Eccleſiâ de hoc Myſterio, id admittunt tantâ animi conſtantiâ, nullâ vt aduerſariorum inductione, nullo ſupplicio, nullâ ærumnâ à propoſito deterreri poſſint. *Qui figuras rebus adumbratis exæquat, is*, inquit D. Baſilius, *Euangelij œconomiam omnem conatur diſturbare.* Appoſitè in eamdem ſententiam S.Ambr. *Eccleſiæ Sacramenta eſſe præſtantiora cognouiſti. Potior etenim lux, quàm vmbra, veritas quàm figura, corpus Authoris quàm manna de cœlo. Iudæi* (ſcribit Saluian. Epiſc. Maſſil. *habebant quondam vmbram rerum, nos veritatem: Iudæi fuerunt ſerui, nos adoptiui: Iudæi acceperunt iugum, nos libertatem: Iudæi maledictum, nos gratiam: Iudæi literam interficientem, nos ſpiritum viuificantem: Iudæi per mare tranſierunt ad eremum, nos per baptiſma introimus ad regnum: Iudæi manna manducauerunt, nos Chriſtum: Iudæi carnes*

Baſil. l. 2. de ſpir. S. c. 14.

Ambr. l. 1. c. 9. de iis, qui myſter. initiantur.

Saluian. l. 2. ad Eccleſ. Cath.

auium, nos corpus Dei: Iudæi pruinam cœli, nos Deum cœli.

3. Qui verò ſecùs Dominum conueniret, is certè adiret periculum repulſæ, qualem tulit olim Magdalena cùm poſt ſuſcitatum Chriſtum cupida corpus ſanctiſſimum tangendi, at fide imperfecta, inquit Ambr. & cum dubitatione coniunctâ, prohibita fuit his verbis, *Noli me tangere*; ſi enim S. Thomas, tametſi infidelitatis ſibi conſcius, acceptus eſt humanius, id ſingularis beneficij, gratiæque causâ conceſſum fuit Apoſtolo, quo nos adduci non oportet, vt ſperemus licet nobis perexigua ſit fides, acceptum iri nos tamen aliter, quàm merita noſtra poſtulent. In ritibus quos in edendo Agno Paſchali ſeruatos voluit Deus, is erat inſignis quo cauebatur, vt comburerentur coniectæ in ignem reliquiæ. Quo ex ritu intelligimus, ſi fortè cogitatione aſſequi non poſſumus, quæ in hoc Myſterio latent recondita miracula, quò faciliùs perſuaſus animus acquieſcat, penetrandum nobis eſſe mente in fornacem illam igne accenſam amoris diuini,

Ambroſ. in c. 24. Luc. ſer ſeriæ 5. poſt rejur. Ioan. 20. 17 & 27.

Exod. 12. 20.

quo

quo ardebat ipſum Chriſti pectus, cùm Eccleſiam hoc ſacro munere donauit. Amoris enim illius ardentiſſimi ſimul,& potentiæ ampliſſimæ cogitatio dubitationem omnem tollit, ſi qua affertur, etſi ratio minùs perſpecta; exploratáque ſit. Accommodatè ad hanc orationem Heſychius in Leuiticum. *Ex hoc quod agitur ſenſibiliter, ſignificatio cuiuſdam intelligibilis rei, eis qui intendunt, prouenit: vt quando ad comeſtionem Sacrificij deficimus,& comedere illud integra non poſſumus mente forſan laſſeſcente, ſiue deficiente, vtrum ea quæ videntur, corpus oporteat intelligi Domini, in quod oculis nec Angeli poſſunt proſpicere, non relinqui, ſed etiã tradi ea igni oportet ſpiritus, vt ea comedat, quæ nobis ſunt ea infirmitate ineſibilia. Quomodo autem comedat, cum cogitauerimus, virtuti ſpiritûs eſſe poſſibilia ea, quæ nobis impoſſibilia videntur.* Profectò quidquid ab ipſo Deo effici poteſt ſi complecteremur animo, meritò iniiceretur de Deo ſcrupulus, & dubitatio. *Lib. 2. c. 8*

4. In hoc mirabili Sacramento mens humana Dei voluntati paret, ſuſpi-

eſtque ſuſpenſa panis , & vini accidentia, vt appellant, quæ in nullâ naturâ inhæreant. Exiſtunt illa præter naturæ vim Diuinâ quâdam ſummi Opificis virtute. Mentem pariter noſtram fidei obtemperare oportet, nitíque Dei ſermone, & authoritate, prætermiſſis , quæ hominis intelligentia comminiſcitur , argumentorum , rationúmque momentis. Ita *cum plenitudine fidei*, vt ait Apoſtolus, accedimus ad Deum , hoc eſt , ſimplici , ac perfecto obſequio, non conquirendo curioſiùs , vt aſſolent Iudæi , certi eâ illum eſſe , & virtute , & ſapientiâ, quam mens humana attingere cogitando non queat ; atque ab illo ea, cùm lubet , effici , quorum magnitudo Cœlitum intelligentiam longè ſuperet. *Si pergis ô Iudæe quærere* , inquit S. Cyrill. Alex. *Quomodo potuit Ieſus nobis carnem ſuam dare ad manducandum : hanc tuam imperitiam ego quoque ſequutus , libenter ex Ægypto exiuiſti rogabo : Quomodo in ſerpentem Moſaica fuit virga conuerſa ? quomodo leprâ manus affecta , vno momento temporis in priſtinum ſtatum reſtituta iterum fuit?*

Cyrill. Alex. l. 4. in Ioan. 13.

fuit? quomodo in naturam ſanguinis aquæ tranſierunt? quo modo patres tui per media maria, vt per aridam effugerunt: quomodo per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit? quomodo è lapide fontes aquarum fluebant? quomodo ſtetit Iordanis? quomodo ſolo clamore inexpugnabilis Hierico cecidit? innumerabilia ſunt, in quibus ſi quomodo quæris, vniuerſam tibi euertere Scripturam neceſſe erit, Prophetarum doctrinam, & ipſius Moſis ſcripta contemni. Dixi, vt Iudæorum mos eſt, qui ſuum illud *Quomodo* identidem vſurpabant pertinaciter animo repugnandi. Illo enim vti modeſtè, & diſcendi ſtudio, vt falſum pro vero non accipiatur, honeſtum eſt, dignúmque laude, atque adeò comprobatum ſanctæ Virginis exemplo, quæ ſciſcitata eſt ab Angelo, Quomodo tandem futurum eſſet, quod diceret, cùm ipſa eſſet virginitatis religione obſtricta. Intellexit illa è Cœleſti Legato opitulaturum ipſi Dei Spiritum, ac nihil admodum eſſe, quod non poſſet efficere diuina vis; Quo in reſponſo conſtitit: illam imitari nos oportet in hoc Myſterio, vt

Luc. 1. 34 35.

monet egregiè S. Ioannes Damaſc.
Damaſc. c.4. de fide orth. c.14. *Tu nunc quæris quomodo panis corpus Chriſti, & vinum cum aqua coniunctum ſanguis Chriſti fiat? tibi item reſpondeo, Spiritus ſanctus ſuperuenit eáque efficit, quæ orationis facultatem, ac mentis intelligentiam excedunt.* Pergit deinde vir Sanctus. *Sanè corpus Diuinitati verè vnitum eſt illud corpus, quod ex ſancta Virgine ortum eſt: non quòd aſſumptum illud corpus è cœlo deſcenderit: ſed quia panis ipſe ac vinum in corpus & ſanguinem Dei immutantur. Quòd ſi, quo pacto id fiat, requiris, ſat tibi ſit audire, quòd per ſanctum Spiritum id fiat, quemadmodum & ex ſancta Dei Matre, per Spiritum ſanctum Dominus ſibiipſi, & in ſeipſo carnem condidit. Nec quicquam amplius nobis perſpectum & exploratum eſt, quam quod verbum Dei verum eſt, & efficax, atque omnipotens.* Addit paulo infrà,
Idem ibi. quod valdè notandum eſt. *Nec verò panis & vinum corporis Chriſti figura ſunt (abſit enim hoc) verùm ipſummet Domini corpus Diuinitate affectum: quippe cùm Dominus ipſe dixerit, hoc eſt, non corporis ſignum, ſed corpus, nec ſanguinis ſignum, ſed ſanguis.*

5. Fidem

5. Fidem poſtulat Religio, vt ſacra myſteria intelligantur. Qui vult ea intelligere, vt credat, is Religionis ordinem perturbat, & *ſcrutator Maieſtatis opprimitur à gloria*; aut certè incurrit in fraudem, errorémque grauiorem; ſeu à ratione intelligentiæ noſtræ, quæ pendet ex cognitione ſenſuum, qui errori ſunt obnoxij, ſeu ab ipſis myſteriis, quæ cùm ſenſibus, & mente noſtrâ ſuperiora ſint, cogitatione attingi à nobis minimè poſſunt; imo verò neceſſe eſt, ſi nos volumus ab errore liberos, mens noſtra diuino quodam lumine, quo cum fide donamur, prædita ſit. Quare Religionis fundamentum hâc vnâ voce nititur, *Credo*. Quæ vox cùm habeat à Deo authoritatem, ab ipſius veritate firmamentum, vim omnem ab eiuſdem poteſtate; hac vnâ profectò infidelitas euertitur, refellitur falſitas, depellitur error, hæreſis profligatur, Religio confirmatur, redditur, ac reſtituitur Mundo ſalus, hinc illud Tertulliani. *Quid Athenis, & Hieroſolymis? quid Academia, & Eccleſia?* quid hæreticis, & Chriſtianis? Noſtra in- *Tertull. de præſcript. aduerſ. hæres.*

ſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum. Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum &c. De hoc argumento ſcitè Chryſoſt. [*Credamus*, inquit, vbique Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui, & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur, ſuperet ſenſum, & rationem noſtram ſermo ipſius, quod in omnibus, & præcipuè in myſteriis faciamus. Nam verbis eius defraudari non poſſumus: ſenſus verò noſter deceptu facillimus eſt, illa falſa eſſe non poſſunt: hic ſæpiùs fallitur: Quoniam ergo ille dixit, *Hoc eſt corpus meum*; nullâ teneamur ambiguitate, ſed credamus.] Et paulò pòſt: *Non ſuffecit ipſi hominem fieri, flagellis cadi, ſed nos in vnam maſſam reducit, neque id fide ſolum, ſed reipſâ nos ſuum corpus efficit.* S. Ambr. *Ipſe Dominus Ieſus teſtificatur nobis, quòd Corpus ſuum accipiamus, & Sanguinem, numquid debemus de eius fide, & teſtificatione dubitare?* S. Cyrill. Hieroſ. qui hunc ætate præceſſit. *Cum Chriſtus ipſe ſic affirmet atque dicat de pane*: Hoc eſt corpus meum; *quis deinceps*

Chryſoſt. hom. 83. in Matth. & 60. ad pop.

Ambroſ. l. 4. de ſacr. c. 5.

Cyr. Hieroſ. Catech. 4.

deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante, & dicente. Hic eſt Sanguis meus; *quis inquam dubitet, & dicat non eſſe illius ſanguinem? Quare* (infert paulò pòſt) *omni cum certitudine Corpus, & Sanguinem Chriſti ſumamus: nam ſub ſpecie panis datur tibi Corpus, & ſub ſpecie vini datur tibi Sanguis.*

6. Hic fide certi Maiores noſtri contrà errores huius Myſterij veritati contrarios pugnando, explicando, quæ in illo arcana ſunt, vtilitatem, quæ ex illo percipitur, confirmando, miracula extollendo mirificis laudibus, vſum denique perſuadendo, hanc religionem, vt ſacrum quoddam depoſitum, creditam nobis, commiſſámque voluere; nos acceptam poſteris tradimus & committimus, quæ in poſterum perpetuâ quâdam ſerie, & nullo puncto temporis intermiſſo de manu vt aiunt, in manum tradita ad vltima tempora traducetur. Quidquid enim moliatur Stygius hoſtis, nihil vnquam efficiet, quominus res habitura ſit optabilem exitum; neque obtinebit, vt in nos iure cadat hæc in hæreticos contorqueri ſolita reprehenſio,

henſio, Religionem noſtram eam eſſe, quam inſtituerit homo quidam priuatus, hoc notus nomine, hoc in ſolo procreatus, hâc in regione errores commentus, ab his Doctoribus conuictus, damnatus in his Conciliis, his Pontificibus, his Regibus, hoc anno. Contrà verò manebit illud, fixúmque erit, fidei noſtræ doctrinam à Chriſto authore primùm ortam fuiſſe, deinde ab Apoſtolis traditam, acceptam ab Eccleſiâ, mandatam ſcriptis à Patribus tum Græcis, tum Latinis, in Academiis defenſam, confirmatam à Doctoribus, à ſacris Oratoribus, iiſque celeberrimis prædicatam, agnitam ſæculis omnibus, miraculis comprobatam: opinionem autem illi contrariam ſæpiſſimè confutatam, exploſam, atque certâ ſententiâ damnatam erroris. Si qui enim ſunt pertinaces, qui illi adhuc adhæreant, non habet illa idcirco firmamenti quidpiam, & roboris: Quin potiùs id tribuendum naturæ hæreſeos ſimillimæ ſerpenti, quæ obtrito, contusóque capite verſat quidem ſeſe aliquandiu huc, & illuc, multiplici

flexu

flexu conuoluit, ac tandem enecta moritur.

7. Vtinam luberet illis infelicibus hæreticis, qui à veritate deflexerunt, deponere tantiſper inſitum ex opinione anticipatâ errorem, hanc vt argumentationem perbreuem ſuis momentis penderent. Quod corpus pro nobis traditum eſt, illud Chriſti Corpus verum, non figura corporis fuit: Quod verò à Chriſto Domino, cùm in vltimâ cœnâ Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, datum eſt, illud fuit corpus, quod pro nobis traditum eſt: Igitur quod datum eſt ab eo, cùm Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, fuit verum Chriſti Corpus, non ipſius figura: ſi hoc attenderent ſalutis ſuæ cupidi, depulſo errore conuenirent profectò nobiſcum religione, eámque tutari vel profuſo ſanguine parati eſſent. In his enim, quæ abs me propoſita ſunt, primum adeò verum eſt, ac compertum, vt nemo iam ſit, qui non ducat religioni hoc in diſputationem adducere: alterum planè, & apertè continetur his Chriſti verbis, quæ in Cœnâ vltimâ protulit, *Accipite,*

cipite,& mãducate,hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur; Tertium,quod ex duobus è Dialecticorum lege aptè concluditur, rem infert certiſſimam, cuius oppoſitum,quod aduerſarij amplectuntur, non poteſt non eſſe falſum, vt vnanimi ore nobiſcum profitentur Græci, Rutheni, Moſcouitæ, Syri,Ægyptij, Æthiopes, licèt ab Eccleſiæ Caſtris defecerint.

In ſuis Liturgiis.

8. Addam vnum in hanc ſententiam ſcitu digniſſimum. De ſacris litteris animaduerſum eſt, illas inſtinctu diuino, & afflatu itâ ſuauiter, ſapientérque conſcriptas eſſe, vt ſi quid loco vno minùs explicatè traditum in contrarium ſenſum detorqueri poſſit contrà Religionem, & mores bonos: id deinde vel loco eodem, vel alio planiùs explicetur. Hinc illud Auguſtini ſacras litteras in eiuſmodi argumentis claras eſſe, & intelligentiâ faciles;cuius rei probationem affero. S. Paulus in eâ, quam dedit ad Coloſſenſes Epiſtolâ aſſerit *adimplere ſe ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne ſuâ pro corpore eius.*Cùm hæc vox Corporis,ambigua ſit,conſtat,ſi ad Chriſti

Ioan. 6. 63.

Aug. l. 2. de doctr. Chriſt. c. 9.

ſti corpus tranſlata fuiſſet, eam futuram fuiſſe cauſam falſitatis. Quam vt auerteret Spiritus ſanctus, verbum hoc ad Chriſti corpus myſticum accommodauit præcipiens iſtud ſubiici, *Quod eſt Eccleſia.* Sic apud S. Matthæum, & S. Marcum monentur diſcipuli, vt caueant *à fermento Phariſæorum*, ex quo cùm à viris exiguo ingenio colligi quidpiam poſſit virtuti perniciosum, conſultum commodè à S. Lucâ, qui vocem illam de *Hypocriſi* accepit. Apud eumdem Lucam cap. 2. S. Ioſeph B. V. ſponſus dicitur ab eâ Chriſti Pater abſolutè. Quo profectò niti potuiſſent ſectæ quorumdam hæreticorum, qui poſteà orti ſunt, vt Heluidij, ſi non fuiſſet ab eo proſpectum; proſpexit verò cùm adiunxit planiùs, *vt putabatur.* *Matth. 16 6. Marci 8. 15. Luc. 12. 1. Luc. 3 23.*

Quòd ſi in his rebus leuioris momenti id obſeruatum à Deo, multò magis in Sacramentis, quorum vſum in Eccleſiâ perpetuum eſſe oportet, & in quibus non erratur ſine Numinis offenſâ, ac ſalutis detrimento. Et verò teſtis eſt S. Ioannes promulgatâ à Chriſto Baptiſmi lege his verbis: *Niſi* *Luc. 3. 25.*

quis

quis renatus fuerit. Nicodemo, qui in Iſraëlitis Magiſter erat, id obſcurum adeò viſum fuiſſe, vt ſciſcitatus fuerit, num opus eſſet ad ſalutem ſempiternam vnumquemque in parentis ſuæ aluum regredi. At ſtatim, à Magiſtro humaniſſimo intellexit ſermonem eſſe de ſpirituali regeneratione, quæ per aquam, & Spiritûs ſancti gratiam futura eſſet. Id ergo præſtiterit in Euchariſtiâ, quæ ab obſcuritate *Myſterij fidei* nomen inuenit; cùm autem S. Matthæus vbi meminit inſti-
Matth. 26. 26. tutæ Euchariſtiæ, refert Chriſtum hæc locutum fuiſſe diſcipulis, *Accipi-*
Mar. 14. 22. *te, & comedite, hoc eſt Corpus meũ.* Quæ deinde à S. Marco confirmata ſunt: cúmque hæc verba ex vi ſubiectâ vocibus, nihil aliud ſonent, quàm verè datum à Chriſto corpus ſuum: nullo modo panem, qui corporis figura foret: neceſſe eſt, ſi alius fuit illi animus vt contendunt, qui ab Eccleſiâ Catholicâ deſciuere, is minimè prætermiſſus fuerit in ſacris litteris de more, quem, vt monuimus, in rebus minoribus tenent, ſed expreſſus ab aliquo ſanctorum Scriptorum, qui rem hanc-

hanc poſteà recenſuere, cuiuſmodi ſunt ſanctus Lucas, & S. Paulus. Verùm tantùm abeſt, vt id fecerint, videntur ab iis conquiſita verba diligentiùs, quibus contrarium teſtarentur. Hæc ſunt S. Lucæ verba. *Hoc eſt* Luc. 22. *Corpus meum, quod pro vobis datur.* Hæc 19. D. Pauli *Hoc eſt Corpus meum, quod pro* 1. Cor. 11. *vobis tradetur.* Quis enim Chriſtiano- 14. rum, cùm audit corpus datum, & traditum, figuram corporis, non ipſum corpus interpretetur? A ſilentio Ioannis non leue ducitur argumentum, qui, Euſebio teſte, antequam in lu- Lib. 3. hiſtor. c. 8. cem ederet Euangelium, quod poſt obitum aliorum Euangeliſtarum edidit, perlegit illorum ſcripta attentè, ac de illis hoc iudicium tulit, nihil admodùm in illis contineri non conſentaneum veritati. Quæ cùm ita ſint, quo ſtupore opprimi Chriſtianum oportet eum, qui rem adeò compertam non admittat, inductu ſenſuum perſuaſus eam effici non poſſe, de diuinâ vi minùs modeſtè ſentiat, & ſacrarum litterarum authoritatem deſerat in eo, quod tam certò, & exploratè aſſerunt. Nam hærere in his

Chriſti

Chriſti verbis, *Verba mea ſpiritus & vita ſunt*; argumento eſt ea nonniſi anteoccupatione quâdam erroris inſpecta fuiſſe, cùm in contrariam ſignificationem manifeſtè trahantur.

9. Certum eſt ipſius verba ſpiritum eſſe, & vitam, non quòd ex ſe ſpiritus ſint, & vita, ſed quòd illis vim inſitam voluerit Deus vitam more ſpiritûs impertiendi. Quemadmodum S. Ioannes Baptiſta dicitur in ſacris Codicibus Elias; quod de ipſius perſonâ acceptum falſum eſt, de ipſius ingenio, & animi virtute, vt S. Lucas interpretatur, veriſſimum. Quādo Adamus in lucem prodiit, ſtatua fuit ille primùm lutea, vitæ, & ſensûs expers: at ſtatim atque inſpiratum à Deo in faciem eius ſpiraculum vitæ, animuſque, qui ſpiritus eſt, illi conceſſus, natura illa inanima extitit à Dei manu animans, compos vitæ, atque homo ſuis numeris abſolutus. Idem quodammodo fit in hoc Myſterio. Ante verba ſacræ formulæ, quæ Chriſti ſunt verba, ore Sacerdotis prolata, panis eſt, prætereà nihil: verùm eadem vt pronunciata ſunt, de pane

Geneſ. 27.

mortuo

mortuo viuens Chriſti corpus efficiunt. Iam ducenteſimus ſuprà milleſimum eſt annus, cùm hoc ipſum ſcriptis mandauit S. Ambroſius hunc locum datâ operâ pertractans. *Panis ille, panis eſt ante verba Sacramentorum, vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur aſtruamus, quomodo poteſt, qui panis eſt, eſſe Corpus Chriſti? conſecratione. Conſecratio, igitur quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu.* Et paulò infrà. *Ergo tibi vt reſpondeam, non erat Corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem dico tibi, quòd iam eſt corpus Chriſti. Vides ergo* (ſuperiùs dixerat) *quàm operatorius ſit ſermo Chriſti.* Videant etiam per Deum immortalem quicumque aut errore ducuntur, aut vexantur à Cacodæmone in hac parte moleſtiùs.

Ambroſ. l 4 de ſacram. c. 4.

CAPVT

CAPVT V.

Fiducia modeſta, affectio altera animum præparans.

I. **F**Iducia res eſt adeò neceſſaria ad agendum cum Deo, eam vt
Num.20. deſiderari, vel aliquantulùm in inti-
2. mis familiaribus Moyſe, & Aarone
Deuter. 32. 51. non ſit paſſus, vt conſtat ex eo, quod contigit, *Ad aquas contradictionis*, & vtriuſque morte, quæ conſecuta eſt. Dauid, etſi Propheta, & vir ad nutum diuinum fictus, nec ſibi, nec aliis Dei miſericordiam implorare audebat, niſi ex modo huius eximiæ vir-
Pſ.32.22. tutis. *Fiat*, inquit, *miſericordia tua, Domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.* Hinc S. Iacobus eſt author, vt, ſi precibus noſtris velimus conciliare vim aliquam, *Poſtulemus nihil*
Iac. 1. 6. *hæſitantes*, diffidentiâ omni depulsâ.

2. Enimuerò in Patris æterni benignitate, quam præ ſe tulit ipsâ filij Incarnatione, ſpei collocandæ offertur nobis cauſa maxima. Hoc enim ſummo beneficio eum nobiſcum tam

arcto

arcto neceſſitudinis vinculo coniunxit,vt qui factus eſt homo,is natus ſit more hominum, eorumdem ritu biberit, ederit, labore ſe exercuerit, mortem opperierit, atque adeò pro hominum ſalute illa omnia aut fecerit,aut tulerit,naturam noſtram morte ſuâ ad vitam reuocans, ſcelerum labem ſuo expurgans ſanguine,& dedecore ſui Nominis, ac probro gloriam nobis certam comparans. Verùm, cùm in ſacrâ Hoſtiâ ſeipſum præbeat, non modò quà Deum, quatenus illum tradidit Pater ſuus, ſed etiam quà hominem; nec hominibus generatim duntaxat, vt in ipsâ Incarnatione,in quâ ſibi naturam noſtram aſſumpſit, ſed ſingulis, paratus coniunctus eſſe reipsâ cum omnibus, & cuilibet porrigere ſe in cibum, quo alantur animi, perturbationes ſedentur, hoſtes ſuperentur, vires augeantur: his omnibus, ſi non adducimur ad reponendam ſpem in Dei bonitate, neſcio profectò an quidquam ſit, quod nos eò adducere vnquã poſſit.

3. Quâ eſt in aliis ſacramentis munificentiâ, eâ pellecti, qui ſe miſeros ſentiunt,

ſentiunt, fidenter illò aduolant, nondum initiati myſteriis ad Baptiſmum, quo animis viuant; criminum rei ad Pœnitentiam, quâ ad vitam redeant, Chriſtiani ad Confirmationem, quâ aduersùs fidei hoſtes corroborentur; ægri ad Extremam vnctionem, quâ aut leuentur morbo, aut auxilio diuino iuuentur in poſtremâ pugnâ. An ergo diffidentiæ locus aliquis erit relictus in conſpectu huius Sacramenti, quod aliorum perfectio quædam eſt, illorum caput, & origo, ex quâ fluunt; centrum, quò reliqua referuntur; in quo vno perficitur, quod in aliis inchoatur: habetur denique tanquam in fonte, quod in cæteris, vt in riuulis conſectamur: perinde ac ipſe Sol copiâ circumfluit lucis, cuius pars aliqua deriuatur in planetas. Enimuerò qui gratiæ Author eſt, cauſa ipſa, & largitor Ieſus Chriſtus, is hoc in Sacramento ſeſe præſentem exhibet, non modò vi quâdam, & efficientiâ, vt in aliis: ſed reipsâ, ac perſonâ ſuâ, vtraque naturâ; neque qualis verſatus eſt in terris, dolori, ac morti obnoxius, ſed qualis in Cœlo regnat,
gloriâ

gloria illuſtris. Quare vt illic Patronum agit Patri oſtentans vulnera, præſertim in causâ fidiſſimorum famulorum: ita ſine dubio ſuper Aras reſidens, vbi ſuorum cruciatuum, ac mortis monumentum poſuit, eumdem ſe præſtat, atque eò largius, ac liberaliùs, quò quis accedit & amore, & ſtudio virtutis maiore. Quod conſentaneum eſt promiſſo, cuius meminit Malachias, *Orietur vobis*, inquit, *timentibus nomen meum Sol Iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius, & egrediemini, & ſalietis*, nempe honoris, ac pietatis officiis illum proſequendo. Quòd ſi Dauid Rex ille ſanctus, ob ſimilem honorem ſemel delatum Arcæ veteri, quæ capſa erat è ligno inanimo, in quâ Moyſis virga, legis tabulæ, mannæ vrna recondita eſſent, tantam rerum & humanarum, & diuinarum copiam conſecutus eſt: Quid beneficij non ſperet is, qui eodem amore, ac demiſſione animi impulſus adit ad hoc Sacramentum, noui fœderis animatam arcam, in quâ cum Diuinitate latent gratiæ theſauri omnes?

Malach. 4. 2.

4. Filius, cui pater eſt opulentus, ac

Chryſoſt. homil. ad Theophil. Inde Aræ pro troph. Bicling. l. 1. de triumph. c. 3.

potens, quémque nouit eſſe amantiſſimum ſui, pro certo habet ſibi defore numquam paternam opem. Hinc animo ſoluto, ac libero ſomnum capit: confugítque ad illum ſummâ fiduciâ in aduerſis. In hoc Sacramento Patrem omnium optimum præ ſe gerit Chriſtus Dominus, longéque opulentiſſimum, ac potentiſſimũ. Quanta ergo ſpes reponenda nobis eſt in eo, qui etiamnum hîc tenetur ſtudio noſtri eodem, quo huc ad nos primùm venit. Qui olim de Republicâ benè meriti trophæa, & ſtatuas in foro conſtituebant: iis erat in animo his honoris inſignibus, ac monumentis, non modò memoriam nominis ſui conſecrare, ſed etiam ſtatuere miſeris aſyla quædam, & profugia, quæ haberent hi ſeu ære alieno oppreſſi, ſeu rei grauiſſimorum criminum. Fecit ſimile quidpiam Stygis, mortíſque præclarus Victor, cùm ſacram Hoſtiam, perinde ac verum, & præcipuum trophæum ſuper Altare poſitam voluit; ſtatuit illam quidem in monumentum inſigne ad memoriam ſui amoris immortalem: at eamdem

dedit

dedit in profugium, quod nobis futurum eſſet ſaluti, ſi quando foret, vt certis nominibus culparum admiſſarum teneremur obſtricti, vrgerétque inſectans Numen. Non tribuetur itaque audaciæ, ſed Chriſtianæ fiduciæ ſimul & prudentiæ ad illum confugere in ærumnis, qui eas leuare poteſt. Imò verò daretur nóbis crimini amiſſa occaſio, nec perceptus è tantâ opportunitate fructus. Cùm præſertim non velit ſolùm liberare nos malis ſuâ præſentiâ:ſed cumulare bonis, largâ luce complere, amore incendere, gratiâ perfundere, recreare cœleſti voluptate, ſuo ſpiritu donare, excitare ad pietatem, ſua nobis elargiri promerita, denique pignus tradere felicitatis ſempiternæ.

5. Verùm manca eſſet, & imperfecta fiducia niſi adiunctum haberet Dei timorem, qui innocentiæ cuſtos eſt, atque ad ſummum decus, & ornamentum ſui, animi demiſſi modeſtiam. Tantùm enim apud Deum optimum maximum valet iſta demiſſio, vt cùm primùm illam cernit in homine, tàm ſeſe demittat ad ipſum

illicò, preces audiat, beneuolè intueatur, ſermonem cum illo miſceat
Iſ. 66. 2. familiarem. *Ad quem reſpiciam*, inquit Iſaias, *niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Nunquam Deo certò confidemus, niſi nobis fuerimus omninò diffiſi; neque hanc diffidentiam aliter aſſequemur, quàm illâ modeſtæ mentis
1. Petr. 5. 5. demiſſione. Scitum eſt illud Sancti Petri, *gratiam humilibus dari.* Quid ergo ab Authore gratiæ, qui conſidet in Euchariſtiâ, conſecuturos ſe beneficij ſperent ij, qui opinione ſui elati, & inflati multa ſibi tribuunt, & ar-
Cant. 2. 1. rogant inſolentius? Lilium eſt ibi vallium, è quo non afflatur odor in
Cant. 4. 15. proceras Libani cedros; fons eſt aquæ viuæ, & perennis, qui non repleat animos amore ſui plenos. Ipſo naſcente ortum eſt ſidus luce eximiâ,
Matth. 2. 2. quo tanquam ſigno gloriæ, ac Regiæ Maieſtatis vocati Magi è Meſopotamiâ ad præſepium ſummis illum proſecuturi honoribus; verùm, vt
Aug. tr. 3. in Ioan. monet S. Auguſtinus, ſidus illud ſtatim occidit, Crux autem extitit mortis ſignum ac dedecoris, voluit-
que

que eâ notari Chriſtianorum frontem, vt meminerint Dei Numen ampliſſimum colendum eſſe reuerentiâ & modeſtiâ; celſiſſimam ſedem dignitatis demiſſione; naturam præpotentem ſui deſpicientiâ. Quibus igitur oculis aſpiciat ad Aras hominem fronte erecta, elato ſupercilio, animo arroganti, ac ſuperbo? Mahometi inſigne fuit Luna creſcens; his hominibus patet liber ad illum aditus; ad Chriſtum humilem, & crucifixum non patet.

CAPVT VI.

Affectio tertia ſingularis animum præparans, vacuitas cupiditatis omnis lethiferæ.

1. QVanquam neutra harum affectionum prodeſt, tertia ſi deſideretur, quæ in odio grauioris culpæ conſiſtit Dion. *prophana erit multitudo eorum, qui perturbationibus agitantur, carebitque ſacrorum aſpectu, & communione.* Deinde rurſus: *Ii qui ad Sanctiſſi-*

Dion. de Eccleſ. Hier. c. 5.

Ibid.

mum ſacrificium expiati eſſe debent etiam ab extremis animæ imaginationibus. Si
Exod. 3. 5. enim Moyſi præceptum eſt, vt non ante ad rubum accederet, quàm calceos poſuiſſet, quæ munditia adhibenda nobis eſt in viſendo non vno de cœlitibus, ſed cœlitum omnium Principe Deo? Ille alienior eſt ab hoc genere culpæ, quàm vt amore complectatur eos quos iſta delectet.

2. Fuere quondam aliqui apud Ezechielem viri falſorum Deorum cultui addicti, qui huiuſce Prophetæ verbis Deum conſulere ſint auſi; verùm id reſponſi tulere, ſi quis eorum idem iterum tentaret fore vt *faceret*
Ezech. 14. 8. *eum in exemplum, & diſperderet eum de medio populi.* Quàm igitur ſeuerè animaduertiſſet Deus ſanctiſſimus in eos, ſi ad illum ipſimet adiiſſent ſic animo affecti? Quo verò vultu intueretur eum, qui tãtâ audaciâ ad Sacramentum accederet? An minor eſ-
Matth. 27. 29. Mar. 15. 19. ſet illius culpa, quàm carnificum, qui genu flexo ſpeciem honoris præ ſe ferebant, cùm reipsâ in illum & colaphis, & cachinnis illuderent? An non potiùs multò grauior cùm illum probè

bè norint? Deinde quàm inſignis impudentia turpem dare ſe in conſpectum Dei puriſſimi, ſanctiſſimi profanum, Iudicis reum, Regis proditorem, Dei meritò indignantis ſceleſtum? Quî propulſaret à ſe ſuſpicionem cõiurationis cum hoſte nefario, & operæ ſuæ præſtitæ conſciſcendo facinori quod ſuſceptum olim in cœlis habuit infelicem exitum, cùm factioſus ille voluiſſet in partem Regni venire? Omnino tãto ſcelere inuaderet in hominis illius mentẽ ſuperbus Cacodæmon, atque ſedem ſibi collocaret in eâ, vt in cæteris hominibus, quorum mens contaminatur labe lethiferâ. Atqui ſedet ſuper Altare in Sacramento Ieſus-Chriſtus verus Deus, & vſque eò temeritatis procederet ſceleſtus ille, illum vt conueniret? conſtitueret profectò proximè Chriſti ſolium Cacodæmonis ſellam, atque hic perduellis Chriſto aſſideret. Quod ſcelus impij proditoris meritò eâ pœnâ mulctandum eſſet, quam ſubiit ob ſuperbiæ crimen facinoroſus Angelus. S. Paulinus Nolanus Antiſtes inuehitur ve-

Iſ 14. 13.

S. Paul. ep. ad Seuer. 11.

hementer in Adrianum Imp. qui ſuprà Chriſti ſacrum Præſepe in oppido Bethlehem Adonidis ſtatuam collocari iuſſit. At iſtud flagitij eò æſtimandum eſt grauius, quò maius diſcrimen intercedit Chriſtum inter & præſepe; ligni, aut lapidis fruſtum in falſi Numinis effigiem effictum, & cor hominis nefarium, quod ſuâ nequitiâ Cacodæmonẽ refert. *Nonne*, inquiebat de Iudâ proditore veraciſ-
Ioan. 6. 70. Maldon. ibid. ſimus Chriſtus, *vos duodecim elegi, & vnus veſtrûm diabolus eſt*? Non quòd eſſet eiuſmodi naturâ, ſed ſimilitudine, ac imitatione.

3. Câueat ergo diligenter quiſquis huc accedit à tam prauâ animi affectione, memor, quàm malè acceptus fuerit ille, qui, vt habetur in parabolâ, conclaue Regium ſine veſte nuptiali ingreſſus ad ſacras epulas audacius, expulſus eſt his verbis: *Ami-*
Math. 22. 12. *ce quomodò huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Itaque ſi quâ teneatur culpâ iſtiuſmodi, neceſſe eſt ſaltem turpem illum affectum vero dolore expurget, conſtituátque ſtudio placendi Deo, culpam omnem expiaturum

rum ſe quàm primùm Pœnitentiæ Sacramento. Teſtis eſt S. Cyprianus, cùm mulier Chriſtiana Idolorum ſacrificiis interfuiſſet in Eccleſiæ perturbatione, capsámque, in quâ S. Euchariſtia recondita erat, aperuiſſet, culpâ nondum abſtersâ lachrymis, ignem ſubitò inde erupiſſe, quo non modò prohibita fuit ſancti cibi contactu; ſed etiam expulſa procul, territáque adeò vt tantùm non corruerit exanimis. *Sermone de Lapſis.*

4. Natura ſimilia facilè conſociat: contraria, minimè; quippe quæ inter ſe pugnant. Idem propemodùm facit gratia. *Neque habitabit iuxtà te malignus*, inquit Pſalmographus, *Neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos.* horum acceſſum ducit ſibi dedecori; contrà verò, vt ait D. Paulus, *Non confunditur vocari Deus eorum*, virorum, inquam iuſtorum; imò ſeipſum appellat Deum Abrahæ, Iſaaci, & Iacobi. Regibus glorioſus eſt ſplendor aulicorum, ac florens magnifico ornatu Regia: quibus contrà probro eſſet ſtipari ſatellitibus ſenio confectis, claudis, egenis, miſeris. Idem *Pſal. 5. 6.* *Hebr. 11. 16.*

propè dixerim de Deo, quod attinet ad viros probos gratiæ ornamentis inſignes, & alios, quos ſuorum criminum maculæ turpiſſimè contaminant. Idcircò dederunt illi aliquando pœnas grauiſſimas id genûs homines, vt Nadab, & Abiu Aaronis liberi, qui quòd ignem alienum à ſacrâ Religione Aris intuliſſent, morte mulctati ſunt. Quòd ſi nonnullos ferat, quos libidinum faces incendunt, id miſericordiæ, cuius hîc ſedes eſt, tribuendum puto: at pœnas repeteret vindex Numen, ni reſipiſcant; Cogitandum illis eſſet non quid pœnarum vitent, ſed quid ſceleribus debeatur, nec euaſiſſe, qui tenentur vinculo; quin etiam metum ſubeſſe, ne grauiori ſupplicio referuentur. Pertimeſcendum eſſet prætereà ſi videtur modò tardior vltio Numinis, eam ideò ſeueriorem fore, & Dei patientiam cum ſupplicij grauitate, eos niſi pœniteat, grandi fœnore compenſatum iri. Mortem olim intētabat ei, qui turpitudinis conſcius auſus eſſet appropinquare rebus honore ipſius conſecratis. *Loquere ad Aaron, & filios*

Nom. 3. 4.

filios eius, inquit ille Moyſi, *caueant ab his, quæ conſecrata ſunt filiorum Iſraël, & non contaminent nomen ſanctifi-* Leu. 22. 3.
catorum mihi, quæ ipſi offerunt. Ego Dominus. Dic ad eos, & poſteros eorum, Omnis homo, qui acceſſerit de ſtirpe veſtrâ ad ea, quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filij Iſraël Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino. Ego ſum Dominus. In quam ſententiam hoc putat S. Baſilius planè confici, pœnas longè acerbiores daturum eum, qui temerè attigerit, non pecudis in templo mactatæ carnem, ſed Chriſti in hoc Myſterio Corpus Au- S. Baſil.
guſtiſſimum. Quam orationem con- l. 2. de
cludens: *Mundemus nos*, inquit, *ab* Bapt. q. 3.
omni inquinamento, atque ita ad ſancta accedamus, vt iudicium eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus.

5. Quos vera cupiditas tenet fructuum vberrimorum, qui ex illâ cum Deo familiaritate capiuntur, ij apparatu illo neceſſario minimè contenti, dant operam ſtrenuam leuioribus culpis, & occultioribus expurgandis, coercendíſque petulantioribus animi affectionibus, quæ erumpunt per-

ſæpe nobis imprudentibus; Quas vt illi coërcuere, aut certè diligenter inſectantur, vix dici poteſt, quàm aptiores fiant, magíſque idonei diuinæ luci, quam mittit illa ſedes Regia, ac digniores, qui veniant in Dei familiaritatem, & congreſſum.

6. Addam extremo capite, ſi quis reus culpæ admiſſæ ad hoc Sacrarium adiret, ſui criminis minimè conſcius, in opinione eſſe eum, (quæ Dei bonitas eſt,) non prohibitum iri aditu; verùm, vt proximè Dagonis ſimulachrum conſtitutâ à Philiſthinis Arcâ, cui deinde ſummos honores erant delaturi, pietatis compenſandæ gratiâ deturbatum eſt duntaxat ſimulachrum, & euerſum fracto capite, lacertíſque imminutis Altari incolumi; itâ etſi reſideret in illius animo ſeu Idolum, culpa nefaria; quoniam tamen ille neſciret, & haberet in animo Dominum proſequi debito honoris officio eum viſendo, condonatum iri hominis ignorantiæ, atque arcano inſtinctu gratiæ conceſſum iri dolorem, quo culpâ abſterſâ propitius illi futurus eſſet.

1. Reg. 5. 3.

CAPVT

CAPVT VII.

Quo S. Sacramentum viſendum eſt animi propoſito.

1. OPeram perdit; qui multa efficit, non ſolicitus, quàm benè illa efficiat, acquieſcitque in præclarâ quâdam ſpecie, curæ non habens quo animo fiant; perinde ſanè facit, ac qui vultum bellè perſonatum ſine cerebro fingit. *Deus ſpiritus eſt, vúltque in ſpiritu, & veritate adorari.* Deum veritate colit is, qui ipſius amore non ſectatur ea quæ pereunt, probè intelligens ea in vanis, fallacibúſque bonis eſſe numeranda; colit ſpiritu, cùm viuit ex mente ſecum, vt aiunt, intentus in motus gratiæ internoſcendos, actionéſque omnes dirigendas ad finem bonum hac normâ aureâ. *Nihil contra Deum; Huius honore, amore, ac ſtudio omnia.* Benè agere metu duntaxat pœnæ, ſeruorum eſt, inquiebat S. Dorotheus, vt ſolâ mercedis ſpe, mercenarij; at amore duci, atque hac regulâ metiri ſua omnia, filiorum

Ioan. 4. 24.

Doroth. docum. 14.

liorum eſt Dei. Niſi S. Euchariſtiam viſamus hoc animo, perparum certè fructûs percipiemus ex hoc pietatis officio. Promptum verò in conſpectu ſacræ Hoſtiæ ſic affici, ſi attendamus eam inſtitutam eo conſilio præſertim, eóque fine præcipuo, vt toto tempore, quo vigebit lex gratiæ, inſeruitura ſit honori Dei Optimi Maximi tam præclaro genere ſacrificij, vt diuinâ amplitudine dignum ſit, antecellátque multò cæteris, quæ vnquam facta fuerunt.

2. Honor Sacrificij maximus eſt omnium, quod homines poſſint perſoluere Deo. Is eſt ſolus, præcipuúſque cultus communi populorum conſenſu reſeruatus Numini in teſtimonium publicum vni Deo debitum, ſignificationémque Regiæ in ipſos dominationis, ac poteſtatis, in quâ teneantur vniuerſi. Natura ſic vſque viſa eſt ab omni memoriâ ætatum, & temporum ad genus iſtud honoris propenſa, nulla vt fuerit vnquam hominibus communitas, ſocietáſque vitæ, in quâ ſpecies quædam Religionis, & ſacrificij non extiterit. Nimirum viſa ſunt

ſæculorum

ſæculorum præteritis ætatibus hæc perinde inter ſe copulata alia ex aliis conſequi, Deum, hominem, cultum; ac illa Patrem, filium, obſeruantiam; Dominum, ſeruum, ſeruitutem; creditorem, debitorem, debitum. At cùm illo naturali lumine ad verum Deum perueniri facilè non potuerit, adfuit homini Deus à primo, illuxítque diuiniùs; quâ luce benè, & commodè vſi qui primi hominum fuere, vt religione Dei Numen profeſſi ſunt, ita illud coluere ſacrificiis; nec defuere poſteà tum ante, tum poſt conſcriptam Moyſis legem, qui hoc illi officij religiosè præſtiterint. Verùm enim verò illorum ſacrificiorum dignitatem ſi lubet æſtimare, fuítne in illis aliud quidpiam melius, quàm teſtimonium illud, quod quiſque dabat & diuini dominatûs, & ſuæ naturæ ipſi ſubiectæ? Sacerdotes ipſi an non homines fuere, iíque peccato obnoxij? Quæ ab illis offerebantur quid aliud erant, quàm res quæpiam humiles, & abiectæ? Terræ fruges, quarum eſſent immolationes, oleum, vinum, & alij id genûs liquores, quo- *Gen. 4. 4.*

rum

rum libationes , & animalia mactarentur in victimam? Quibus in rebus ecqua porrò tanti fuit, ea vt honorem afferret eum qui ad naturam Dei præpotentem,& excellentem accederet? Omnino longè inferior erat cultus omnis præter eum , qui infinitus eſſet. Ecquis autem eum expectare poſſet à re creatâ, cuius natura, facultas, & efficientia cùm eſſent certis circumſcripta terminis , ab eâ nihil poterat infinitum effici ?

3. Reſeruabatur itaque hoc officij, religioníſque genus vni Chriſto perſonâ infinito , finito naturâ humanâ, vero Deo,ſimul & homini ; quem idcirco ſummum Pontificem præfecit Pater ſuus , vt quà homo ſacrificium illi faceret ſubiectus ; quà Deus victimam præberet infinitam , & qualem ipſe poſtularet. Hoc S.Paulus epiſtolâ,quam ad Hebræos dedit, præclarè explicat, cùm filium illum obſeruantiſſimum inducit reſpondentem ad poſtulata Patris , qui hoc honoris ab eo poſtulauit, cùm hominem induit. *Hoſtiam,& oblationem,noluiſti. Holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt;*

Hebr. 5. 9. *Ibid. 10. 5.*

Corpus

Corpus autem aptaſti mihi, hoc eſt idoneum finxiſti ad ſupplenda, quæ illis deeſſent, offero equidem lubenti animo. *Ecce venio: in capite libri ſcriptũ eſt de me, vt faciam, Deus voluntatem tuam.* Hoc primo vitæ exordio dictum ab eo, reipsá deinde præſtitum eſt ſub exitum è vitâ, cùm corpus, & ſanguinem cum perſonâ diuinâ mirificè coniuncta præbuit. ad ſacrificium, egitque ipſe primum, ac præcipuum Sacerdotem, non vno duntaxat, ſed duplici nomine accommodatè ad vtrumque Sacerdotium, quod anteceſſerat, Melchiſedecis legis naturalis ætate, Aaronis ſcriptæ, quorum ille ſine cruore panem, & vinum libabat, hic immolabat animalia. Principio igitur Patri obtulit tanquam Sacerdos ritu prioris Sacerdotij optatum iamdiu ſacrificium naturæ ſuæ humanæ ſub ſpecie panis, & vini, cùm cœnaret poſtremò cum diſcipulis, quibus hæc dixiſſe fertur, *Accipite, & comedite; hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur*, non, *quod datur vobis, ſed quod pro vobis datur*. Deo ſcilicet in ſacrificium. Poſterâ verò die ſublatus Luc. 22. 19.

in

in crucem idem corpus immolauit more alterius Sacerdotij; hoc duplici ſacrificio abrogata alia, quibus vtrũque adumbratum fuit; res ſignificata in Eccleſiâ vſque conſeruata, non quo ad ritum profuſi ſanguinis, qui ob immortalitatis ſtatum, nec vllo modo futurus erat, nec vſurpandus ſine culpâ: ſed quoad morem prioris ſacrificij, quod fieri ſolitum ſine cruore. Quo ex more dum pergit immolare ſe in cœtu Chriſtianorum per Sacerdotes, qui illi ſuccedunt vicarij, afficitur Pater honore, quem expe-ctabat, & quo de locutus fuerat Iu-
Malch. 1, 10.11. dæis, his Malachiæ Prophetæ verbis. *Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtrâ. Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

4. Ex quo patet, quàm longè ſuperet Religio noſtra veterem illam, cùm in rerum minimarum locum ſubſtitutus ſit Chriſtus quantuſcumque eſt, infinitus, ac immensè opulentus, ipſéque fungatur Sacerdotis munere, à quo certè

certè defertur honor Deo quantus maximus eſſe poteſt. Quâ in re hoc etiam ſuo pondere pendendum eſt, cùm hoc Sacrificij non ſemel duntaxat illi fiat, vt illud Crucis; ſed quoties conficiuntur Chriſtianorum ſacra, aſſeuerari verè poſſe illud perpetuum eſſe quodammodò, nec intermitti vnquam. Cùm enim Sol ob diuerſa, vt appellant, climata horas omnes obeat horâ qualibet, & Chriſtiani toto Orbe diffuſi à primo diei ortu ad meridiem ſacrum faciant, conſequens eſt, vix horam diei vnam elabi, quin hoc ſacrificio infinito colatur alicubi Deus. Imò, quod longè amplius eſt, colendus ſit ad poſtrema vſque tempora. Nam Sacerdos eſt *ſecundùm ordinem Melchiſedech*, non ad tempus, ſed *in æternum*, vt habetur in ſacris litteris, hoc eſt ad Mundi finem: quare huius Sacerdotij partes neceſſe eſt ab eo agi ad vltimam hominum ætatem Miniſtrorum ſuorum operâ. Quo fit, vt tandiu permanſurum ſit ſacrificium, nec aliis circumſcribendum terminis, quàm ipſum tempus. Poterit quidem contingere

Pſ. 109. Hebr. 2. 6.

interim

interim, quod ſanè contingit ſæpiùs, quam oporteat, in vitia quædam incurrere ipſos Miniſtros: at mores horum improbi non obſcurabunt ſplendorem honoris, qui Deo Patri inde tribuetur. hoc enim cæteris ſacrificiis præſtat, tum Patriarcharum, tum Moyſis, quòd non ex Miniſtrorum merito ſpectandum ſit, ſed ex propriâ dignitate æſtimandum. Quapropter cùm idem vſque permaneat; ſemper etiam erit honori Deo, licèt fiat à viris æquè ſceleratis, & ſacrilegis, ac Caino, Saüle, Caiphâ. Eliæ Prophetæ non minùs gratus allatus à vorace coruo panis, quàm qui ab
3. Reg. 17.6. Angelo. Quæ cùm intelligat Chriſtianus, ac præterea ab hoc genere diuini cultûs factum huic Sacrificio nomen ſacrificij epainetici: ægrè fit, vt cùm ad Aras accedit officij perſoluendi gratiâ, non teneatur aliquo diuinæ gloriæ ſtudio, ſuámque illam venerationem, ſi tantiſper collegerit ſeſe, illò præcipuè non referat.

CAPVT

CAPVT VIII.

Continuatio eiuſdem Argumenti.

1. VErùm, exploratum eſt nobis prætereà Spōſum illum mentium noſtrarum amantiſſimum ſtuduiſſe præſertim noſtris commodis, cùm hoc beneficij in nos contulit, eóque nos amore proſecutus eſt, vt quâ operâ præbuit Patri optimo corpus ſuum ad ſacrificium, eâdem nobis illud reliquerit in Sacramentum; ſanxítque vt quod altare paternæ gloriæ conſecratum eſſet, idem nobis menſa foret extructa cibo exquiſitiſſimo, quo reficerentur animi, & vita gratiæ ſuſtentaretur. *Quoniam*, ait S. Chryſoſtomus, *prior carnis natura è terra ficta, à peccato prius morte erat affecta, & vita priuata; aliam, vt ita dicam, maſſam & fermentum induxit, ſuam carnem, quæ natura quidem erat eadem, à peccato autem libera & vita plena, & dedit eam omnibus participandam: vt eâ nutriti, priori quæ erat mortua depoſita, per hanc menſam in vitam immortalem*

Chryſoſt. in 1. ad Cor. hom 24.

lem contemperaremur. Quò autem facilior eſſet vſus, conſuleretur infirmitati noſtræ, tolleretúrque faſtidium, & nauſea, quâ quiſque à carne crudâ, & humano ſanguine abhorret, vtrumque ſingulari ſanè ſapientiâ tanquam inuolucris obtexit accidentibus, & ſignis eorum, quæ communi vſu hominum ſuppeditant ad victum. Ex quo naſcuntur vtilitates duæ ſanè inſignes; Prima eſt fidei meritum maius, ſpéſque certior fore, vt quam veritatem ſuſpexerimus in terris velo obſcuro obuolutam, eam planè, & explicatè contemplemur, cùm ſeſe nobis in conſpectum dederit ipſa Dei natura; Altera arctior noſtri cum Chriſto coniunctio, quæ hoc Sacramento perficitur commodiùs, non animorum ſolùm, & voluntatum conſenſione per fidem, & charitatẽ: ſed etiam, quod certè veneratione magis, quàm ſermone indiget, corporis cum corpore, perſonæ cum perſonâ, Diuinitatis cum naturâ noſtrâ, humanâ verè, ac reipsâ initâ ſocietate. *An fortaſſis putas* (inquit Cyrillus) *ignotam nobis myſticæ benedictionis virtutem eſſe? Quæ cum*

Cyrill l. 10. in Ioan. cap. 13.

cum in nobis ſiat, nónne corporaliter facit communicatione carnis Chriſti, Chriſtum in nobis habitare? Saluator ait; Qui manducat meam carnem, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Vnde conſiderandum eſt, non habitudine ſolùm, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verumetiam & participatione naturali. Nam quemadmodum ſi quis igne liquefactam ceram, aliæ ceræ ſimiliter liquefactæ, ita miſcuerit, vt vnum quid ex vtriſque factum videatur; ſic communicatione Corporis & Sanguinis Chriſti, ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo.

2. Ad vitam hanc exiguam, quam in terris agimus, ſuſtentandam, menſam extruxerat tam variis, exquiſitiſque cibis, vt cogitanti diligentias, incertum ſit quid plus admirabilitatis habeat: ciborúmne ſuauitas, an varietas, an deliciæ, an vtilitas, an copia; Aer ipſe volucres, aqua piſces, tellus herbas, fructus, animalia, quo hæc omnia cócoquantur calorem præbet ignis, atque tam æquabili partitione, ordine tam certo, támque diligenti curâ, vt profectò mente captus ſit, qui ſingularem prouidentiam, nec agnoſcat,

noſcat, nec admiretur. Nam erat rationi conſentaneum Menſam alteram parari ad vitam illam, quæ mentis eſt alendam,quæ tantùm corporeæ antecellit, quantùm terræ cœlum, naturæ gratia; Id enimuerò præſtitit in Sacramento inſtituendo, cuius menſam,cùm illâ multò lautior deberet eſſe,& ornatior, inſtruxit Corpore ſuo, quod vnum plus voluptatis, vtilitatíſque complectitur, quàm natura omnis ciborum & genere,& numero diuerſorum; Quemadmodùm in Paradiſo terreſtri vni arbori, cui à vitâ ductum nomen, plus inerat virtutis ad nutriendum, quàm cæteris fructibus, quos fundebat reliqua tellus; atque in ſolitudine Hebræorum Manna maiori perfuſum erat dulcedine, quàm opiparæ Ægyptiorum epulæ.

3. In rebus creatis compertum eſt eas iiſdem conſeruari, quibus procreatæ ſunt, idémque eſſe alimenti, quod ortûs principium. Tellus quod optimum eſt in humore pingui digerit ad alendas plantas,quas ex ſe fundit; Arbores, quæ ferunt fructus, parant

rant in horum eſcam, quod habent in ſucco ſuauiſſimum; perfectorum animalium matres fœtus, quos edunt lacte ſuo paſcunt, quod naturâ illarum eſt ſanguis, licèt decoctus, & in mammis abeſcens, vnde apud Medicos nomen inuenit fuci, quo naturæ color illitus, atque apud priſcos Ægyptiorum Sacerdotes teſte Cheremone Strico, (vt author eſt S. Hieronymus) decoloris ſanguinis. *Hier. l. 2. contrà Iouinian.* In diuinis Perſonis conſtat hoc ipſum multò certius, in quibus Pater Filium generans æternâ communicatione diuinæ ſubſtantiæ, dat illi vitam eâdem communicatione. Atque is fuit Chriſti ſenſus, cùm hoc grauiſſimum effatum promeret *ſicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem*; *Hilar. l. 8. de Trin.* prompſit verò tum cùm verba facere cœpit de Euchariſtiâ quapropter poſt ſubiecit eâdem proximâ ſententiâ. *S. Cyr. Alex. ad Euopt. Anath. 11.* *Et qui manducat me, ipſe viuet propter me*: ex quo intelligi voluit comprobari in ſeipſo hoc effatum propoſito corporis, & ſanguinis ſui Myſterio; atque vt amor ſuus vitam gratiæ ſuprà naturam nobis

parabat naturæ ſuæ humanæ beneficio: ita ab ipſius ſapientiâ hoc Sacramentum in cibum conſtitui, qui vitam illam commodè tueretur; hanc ſententiam his verbis præclarè confirmat Sanctus Chryſoſtomus.

Chryſoſt. hom. ad Neophyt.

Sicut mulier affectionis natura cogente, genitum alere ſui lactis fœcunditate feſtinat: ſic & Chriſtus, quos ipſe regenerat, ſuo Sanguine ſemper enutrit. Et alibi. *Multæ matres poſt partum aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipſe facere noluit, ſed proprio Corpore nos alit, & ſibi coniungit, atque conglutinat*: ſapientiæ enim erat, vt reiecto eo quod in efficientiâ cauſarum naturalium imperfectum eſt, accederet ad genus perfectius communicandi ſui cum alio, cuiuſmodi eſt illud Æterni Patris: atque quemadmodùm vitam diuinam habet à Patre, non ab alio, communicatione naturæ diuinæ: Ita in Euchariſtiâ vita gratiæ ſuſtentaretur impertitâ nobis naturâ humanâ, eáque cum perſonâ Dei ſempiterno vinculo coniunctâ.

Idem. hom. 83. in Matth. & 60. ad pop.

4. Preces,

4. Preces, conciones, librorum lectio pia, conſolationes interiores id efficere quodam modò poterant; verùm vt hæc omnia ſimilitudine quadam duntaxat animis noſtris eſca ſunt: ita non ſatis idonea fuiſſent ad illos verè alendos, quibus opus eſſet vero cibo, qualem nobis Chriſtus ipſe porrexit, vt teſtatur hiſce verbis, *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus.* Quare huius diuinæ vitæ ſi tenemur deſiderio, ſumendus nobis eſt veriſſimus ille cibus, cùm præſertim aſſeueratum ſit ab eodem Chriſto. *Niſi manducauerimus carnem ipſius, & biberimus ſanguinem, non habituros nos vitam in nobis*: hinc ſcitum eſt illud Sancti Cyril. Alexandrin. *Non poſſunt cum ſanctificatione beatæ vitæ fieri participes, qui per myſticam benedictionem Ieſum non ſuſceperunt.* Oportuit verò hanc vitæ ſanctioris ſuſtentandæ mirificam vim Authori vitæ, & gratiæ ineſſe, & cùm alius nullus eam nobis ſuo ſanguine promereri

Ioan. 6. 56.

Cyr. Alex. l. d. in Ioan. c. 14.

poſſet eam etiam ab hoc vno præbito corpore ſuſtentari. In quo notandum diſcrimen inter vitam naturalem, & alteram, quæ eſt ſuprà naturam; illam tueri poteſt non alimentum ſolum, quod à causâ efficiente ſuppetit, ſed quod accipitur extrinſecùs, vt pueris vſuuenit, qui traduntur alendi nutricibus, quíque perinde nutricum lacte, ac ipſarummet parentum paſcuntur: Hæc autem non aliud admittit conſeruationis principium, quàm ortûs, ac proinde, quàm ipſammet Chriſti naturam humanam, quæ ob ſempiternam illam cum perſonâ Verbi cõiunctionem, aptiſſimum huic vitæ fouendæ inſtrumentum ſeſe adhibet Deo. Ferrum concepto igne huius efficientiâ præditum eſt: ſic natura hominis cum diuinâ copulata, hac inſtruitur eximiâ vi, quæ in communi cæterorum hominum naturâ nullo modo quærenda ſit. *Non Pauli, aut Petri, aut cæterorum* (inquit Cyrillus) *ſed ipſius vita, & Saluatoris noſtri Ieſu-Chriſti Corpus, in quo Deitatis plenitudo corporaliter habitat, viuificare poteſt*

Cyril. Alex. l. 4. in Ioan. cap 23.

poteſt. Et paulo infrà; *Caro quidem cæterorum omnium quicquam verè non prodeſt: Caro autem Chriſti, quia in ipsâ vnigenitus Dei filius habitat ſola viuificare poteſt.*

5. Cùm diuinus ille cibus animis noſtris adeò ſit neceſſarius, quid illis demum futurum fuiſſet ſi illo caruiſſemus? An vitam illam præſtantiorem tueri potuiſſemus vnquam in tantis corruptelarum illecebris, quibus vſque delinimur, & aſſiduis Dæmonum, qui nos aggrediuntur, incurſionibus? Non id aſſecutus eſt Adamus ille hominum princeps, in ſtatu innocentiæ, etſi virtute ſummâ præditus, cumulatúſque ſapientiâ; Fuiſſemus-ne inſtructi præſtantioribus, quàm ille, viribus? an ſolertiori induſtriâ? an indole meliori ad nos tuendos, conſeruandóſque? Rerum ſeu quæ naturâ, ſeu quæ arte efficiuntur, conditio eſt, vt quæ operis excellentiam maiorem præ ſe ferunt, eæ ſint fragiliores, & caduciores. In corporis humani partibus vt omniũ accuratiſſimè, exquiſitiſſiméque perfecta, eſt oculus, ità certè nulla eſt,

quæ pluribus morbis ſit obnoxia: Horologia, quæ rotarum, motuúmque cùm multitudine, tum varietate elaborata ſunt perfectiùs, faciliùs à curſu deflectunt. Idem propemodùm gratiæ contingit, quæ tametſi vſque eò præſtabilis ſit, nihil vt ſine illâ perfectum ſit, nihil ſanctum: tamen ita fluxa eſt, támque parum ſtabilis, vt vel turpis cogitatio iniecta, vel immoderatè profuſa vox, vel animi motus rationi minimè congruens, vel alia eiuſmodi in quæ ſolent homines, maximam partem, ſæpius incurrere, illam funditus tollant; ſi nos ergo diuini cibi ſubſidium, ſi robuſtorum panis, ſi vitæ fons defeciſſet in his anguſtiis, quî vitam illam aluiſſemus? Num & aut exaruiſſet in nobis facultas omnis, vt arbori euenit, quam non alit humor? aut decidiſſemus, vt de ramo fructus, qui caret ſucco? aut interiiſſemus inediâ confecti, vt pueri, quibus lac, quod ſugant omnino deeſt? Huic incommodo, quod deuitari à nobis minimè potuiſſet, occurrit Deus ſingulari bonitate

præbendo

præbendo diuinum Sacramentum; in quo etiam hoc præclarum amoris ſignum elucet, cùm ſeipſum nobis tradat, non aliquâ ex parte, vt fœtibus ſuis cauſæ naturales impertire ſolent; ſtirpibus humoris perparum terra; fructibus perexiguum ſuccum arbores; infantibus lactis ſui multò minus ipſæ matres: at vniuerſis, & ſingulis integrum, vt ſe totum illi dedit, nec dare intermittit Pater generatione ſempiternâ. *Vniuerſa Eccleſia* (inquit Sanctus Cyprianus) *ad has epulas inuitatur, æqua omnibus portio datur, integer erogatur, diſtributus non demembratur.* S. verò Auguſtinus. *De corpore, ac ſanguine ſuo dedit nobis ſalubrem refectionem; manducent ergo, qui manducant, & bibant, qui bibunt, eſuriant, & ſitiant: vitam manducent, vitam bibant; illud manducare refici eſt, ſed ſic reficeris, vt non deficiat, vnde reficeris; Illud bibere quid eſt niſi viuere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, & integra eſt vita.*

Cypr. de cœnâ Domini.

Auguſt. ſerm. 2 de verbis Apoſtoli.

6. At quare, & quorſum hæc tãta ſui

effuſio ? Quod à cauſis naturalibus alimentum trahunt fœtus ſui, id vim alendi continet certo temporis ſpatio, numeróue dierum, menſium, annorum, quibus elapſis flacceſcunt illi, ac prorsùs intereunt. Niſi ergo noſtri cauſâ magnum quidpiam ille ſpectaſſet conſilio ſuo, quorſum tantus apparatus? quorſum tanta largitas? ſpectauit eò profectò (quod vtinam ipſius beneficentiæ ſit laudi perenni) ſpectauit, inquam, quantùm in ipſo fuit, opera noſtra ſi defutura non eſſet, vt nobis duplicem æternitatem donaret; alteram vitæ, quam appellant gratiæ; alteram vitæ, quæ eſt gloriæ; illâque frueremur vſu optimo huiuſce ambroſiæ toto vitæ mortalis tempore, quod tandem in cœlo confirmatæ gratiæ exceptura eſſet æternitas. Hac verò; quoniam gratia, cùm gloriæ ſit ſemen, hanc perinde ac fructum progenitura eſſet, quo de, qui aliquid deguſtaſſet, non modò mortem opetiturus non eſſet, imò vitam victurus æternam, & beatam. Atque hoc volebat Chriſtus
Ioan. 6. 59. his verbis, *Qui manducat me, & ipſe*

ipſe viuet propter me , Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Hoc ipſe Ignatius cùm Euchariſtiam eſſe diceret, *panem vnum, qui pharmacum immortalitatis eſt, mortis antidotum, vitámque in Deo concilians per Ieſum Chriſtum, medicamentum purgans vitia, & omnia expellens mala.* Et quid porro fieri ab illo potuit aut benigniùs, aut nobis vtiliùs? An cœlites, qui Beatorum epulis accumbunt, accipiuntur lautiùs? Imò, cùm certum ſit Dei naturam cum hoc ſacro Corpore coniunctam eſſe, nec alio cibo Deum vti, quàm ſeipſo, nonne conſequens eſt, quoniam ſeſe nobis Deus in cibum præbuit ad vitam alendam, verſari nos in Dei conuiuio, atque eodem, quo illum pane veſci? *Inuitati ſumus*, inquit Auguſtinus, *ad menſam, vbi non inuenitur cibus hominum, ſed panis ponitur Angelorum*, S. Cyprianus; *Nec iam ad elaborata impenſis & arte conuiuia populi inuitantur; ſed immortalitatis alimonia datur.*

Ignat. Ep. ad Epheſ. quæ eſt 14.

S. Aug. ſerm. 2. de temp.

Cypr. de cœnâ Domini.

7. Quòd ſi in hac parte digna eſt, quæ ſummis laudibus extollatur à nobis, ipſius eximia in nos beneſi-

centia, cùm in re adeò præcellenti & magnificâ, quæque videretur ad ipſius gloriam tota referenda, noſtram etiam vtilitatem ſpectari voluerit, perinde vt ſine illâ non poſſet ipſi cumulatè ſatisfieri: Itaque conſtitutum eſt ſapienti conſilio, vt par ei redderemus, nec in re vllâ conquieſceremus, quæ non eſſet illi in primis honori; nonne ſimillimum eſt vero, ſic ab eo id effectum fuiſſe, vt intelligerent omnes in huiuſce doni vſu ſecundùm ſtudium honoris diuini, ad quem potiſſimùm noſtra omnia dirigenda ſunt, permitti nobis poteſtatem curæ de rebus noſtris habendæ, iiſque conſulendi ipſius præſentiæ opportunitate vtendo?

8. Quapropter reiecto alio omni fine, qui ab illis duobus præcipuis, gloriâ, inquam, Dei, & vtilitate noſtrâ ſit alienus, ſi lubet aliquem ſpectare ſpeciatim, quem illi generatim contineant, nihil profecto vetabit, imò id præſtare erit ſæpenumero operæ pretium. Diuinæ gloriæ, quæ finis

eſt communis, & latè fuſus, ſubiecti ſunt hi, qui ſequuntur; Deo debitum honorem perſoluendi, præcellenti ipſius ditioni, ac imperio ſubiectis nobis omnibus, iiſque ſeu quæ habemus, ſeu quæ habere volumus, coniungendi nos cum illo arctiùs, eum vt amore perfectiori colamus; Filij mores ſanctiſſimos imitandi, agendi gratias de acceptis beneficiis, eáque ad illius honorem referendi; nihil omnino, quod illi offenſioni ſit, admittendi; iacturámque omnium potiùs, quàm gratiæ faciendi; motus animi immoderatos quos ipſe non probet coercendi; hoſtium impetus repellendi, ne fidem fallamus; veniendi in maiorem cognitionem tum ipſius, tum noſtri, tum rerum diuinarum, ac æternarum, vt in eius conſpectu rectiores ſimus in agendo; adipiſcendi promptiorem animum, vehementiorem ardorem, ac propenſionem maiorem ad ea omnia, quæ ad illius cultum pertinent; impetrandi charitatem, modeſtiam demiſſi animi, patientiam, perſeuerantiã

cæteráſque virtutes ad viuendum ex illius voluntate neceſſarias; amplificandi gloriam Imperij gentium à noſtrâ Religione alienarum inſtitutione; reuocatione hæreticorum ab errore ad veritatem; ſceleratorum hominum correctione; conſeruandi, qui vitâ ſunt probi, horum vt in probitate conſtantia laudem afferat Authori Deo ſempiternam; iniiciendi Regibus, ac Monarchis cogitationes & illorum ampliſſimæ dignitati, & Religioni, Chriſtianæ conſentaneas ad regendos populos è legum, præceptorúmque ſanctorum normâ; pacem tranquillè tuendam, vitandum bellum, ex quo mala plurima oriuntur magno Dei dedecore, ac iniuriâ; opem ferendi Oratoribus ſacris, ipſius vt inſtinctu, & afflatu, ac ſtudio vero inflammati ſint illi honori iuuandis animis ex ipſius ſancto, iuſſóque mandato operâ ſuâ præſtitâ.

9. Vtilitas noſtra, quæ finis eſt alter generalis hos continet; conſequendi fructum communicatorum meritorum, & ſatisfactionum, quibus iram illius æquiſſimam declinemus

mus; deprecandi vitia, quibus magis agitamur, hoſtiúmque incurſus moleſtiores, perſoluendi pœnas culpis commiſſis debitas; implorandi gratiam, réſque corporibus, & animis neceſſarias, aut certè ſuſcepti conſilij felicem exitum; auertendi à ceruicibus noſtris pericula, quæ imminent; emolliendi animos eorum, qui nos inſectantur, æſtimatione iniuriæ, quam inferunt; ſuſtinendi partes datas nobis à Maioribus; exorandi clariſſimum lumen, quod nobis cùm pendemus animi, præferatur; inducendi Numen optimum ad protegendos, cumulandoſque gratiâ parentes noſtros, remunerandos eos, qui ſunt de nobis benè meriti, leuandos animos amicorum, qui diem obiere, afficiendos beneficiis eos, qui mali quidpiam inuehunt, concedendum nobis felicem è vitâ deceſſum, ac tandem gloriam æternam.

10. Quoniam verò fines illi omnes & iuuare ſeſe poſſunt, & mirifico conſenſu iucundiſſimum concentum efficere, integrum eſt cuilibet, ac liberum

berum ſtatuere ſibi omnes ſimul, ſpectato tamen ſpeciatim eo, qui magis arriſerit, ſeu illorum, quos attuli, ſeu aliorum, quos animus ſuaſerit, modò ſit memor huius effati; hominum actionibus à fine, ad quem referuntur, & cuius gratiâ fiunt, ſpeciem honeſti tribui, earúmque bonitatem ab eo, quod ipſis propoſitum eſt, pendere. Nuptiarum epulis prohibitæ virgines illæ imprudentes, quòd carerent oleo, quo arderent lucernæ. Nobis oleum eſt ſcopus animi bonus, qui ſi defuerit cùm S. Euchariſtiam viſimus, verendum erit, ne illud in nos Chriſtus contorqueat quod olim in virgines ſtultas, *Amen, dico vobis, neſcio vos.*

Matth. 25. 13.

CAPVT IX.

De conformatione orporis viſendæ Euchariſtiæ aptâ.

I. CVm Verbum æternum caro ſit factum ſalutis noſtræ cauſâ, amoríſque impulſu ſuum in terris corpus

corpus reliquerit hinc diſcedens, noſtro ſolatio: meretur profectò, noſtra vt corpora in partem officij perſoluendi vocentur, legémque illis imponamus ſeruandi coram illo habitûs decori, digníque Deo. Quando Sacra fiunt moris eſt vti formâ corporis præcipuè quadruplici, recti, proni, genu nixi, humi iacentis.

2. Sacerdos ad Aras Chriſti, qui apud Patrem Patronus aſſiſtit paratus ſemper nobis adeſſe, perſonam ſuſtinens, primum illud formæ genus plerumque tenet. Sanctus Bonauentura in Theologiâ Myſticâ fretus authoritate S. Dionyſij, habitum illum corporis tanti facit, illum vt ad amorem Dei in animis inflammandum, ſi oculorum in cœlum coniectionem adiunctam habeat, aliis anteponat. Publicanus illo ſolo vſus eſt in Templo ad miſericordiam Dei captandam, eumdem ſeruant etiamnùm Græci ſacris in ædibus manu ad os, & pectus porrectâ. Æthiopes ſancta Hoſtia dum attollitur, ſtant recti; quod moris etiam eſt venerandorum Comitum Lugdu-

Bonau. myſt Theol. c. 3. parte 3.

Luc. 18. 13.

Lugdunenſium, atque etiam Remis in æde Principe Choriſtarum, Subdiaconorum, & Diaconorum, qui Sacerdoti ad ſunt conficienti ſacra.

3. Conſuetudo inflectendi corporis tradita eſt maximam partem ab Hebræis, quâ vſque adeò vtebantur in ceremoniis, vt quæ vox apud illos ſonat primùm inflectere, eadem ad Dei cultum ſignificandum tranſlata ſit. Hunc venerationis modum tenuit Elias Propheta, cùm veneratus eſt Deum prono in genua capite; ſuum ad terram inflexit Abrahamus; inflexit & Chriſtus preces fundens in horto, cui ab oleis nomen fuit. Narrat Theodoretus viſum à ſe, aliiſque benè multis Simeonem illum Styliten, qui rectus ſuprà columnam inſiſtebat, hac etiam figurâ corporis vti ſæpius, atque numeratas ab vno de ſociis horâ vnâ à viro ſancto quà procumbente vſque eò dum fronte terram feriret, quà ſeſe erigente, quà rurſus inflectente iterationes iſtius modi factas ducentas quadraginta, & quatuor ſuprà mille. Sacerdos ſeſe in ſacris inflectit per-

Theodor. in Philoth. cap. 26.

ſæpe,

ſæpe, licèt non tam demiſsè, vt omnibus eſt compertum.

4. Rariùs etiam flectit genu; Hic tamen eſt, extra tempus, quo legitur Euangelium; eorum qui inter ſunt, habitus penè perpetuus, quẽ tam crebrò vſurpabāt Apoſtoli, vt S. Iacobo Minori, teſte Hieronymo, aſſiduus ille nixus callum camelorum genibus obduxerit. Fertur à S. Bartholomæo iteratum id fuiſſe de die centies, centies item de nocte; ſic pro Chriſtianis orauit S. Paulus, ſic pro inimicis S. Stephanus; ſic multò ante pro ſubditis Salomon, & pro Hebræis Daniel. Perhibent, qui res geſtas conſcripſere B. Stephani, quem Ordo Grandi Montius authorem habet, quòd genu flexo ſæpiſſime connixus fuiſſet; idem illi, quod S. Iacobo contigiſſe; quod etiam de S. Auſberto Rhotomagenſium Præſule referunt Hiſtorici.

Hier. de ſcript. eccl. in Iacob. Chryſ. hom. 5. in Math.

Epheſ. 3. 14. act. 7. 59. 3. Reg 8. 54. Dan. 6. 10.

5. Corporis ad terram ſtrati abiectio parum apud nos in vſu, ac more verſatur. Hanc tamen vſurpat interdum Eccleſia Romana in nonnullis cerimoniis, vt cùm Antiſtites, Sacerdotéſque

téſque ſacro ritu initiantur, & litaniæ, precéſque publicæ habentur paulò ante Sacrum pridie Paſchatis. Fuit illa in more apud Græcos, vt conſtat ex variis S. Chryſoſtomi homiliis; fuit etiam apud Africanos, vt arguitur ex verbis S. Auguſtini cùm illud Vatis hymnopœi, *Adorate ſcabellum pedum eius*: de Chriſti carne in ſacris accipit. *Ad terram quamlibet*, inquit, *cùm te inclinas, atque proſternis, non eam intuearis, quaſi terram, ſed illum ſanctum, cuius pedum ſcabellum eſt, quod adoras.* Carthuſiani Patres de more ſui Ordinis, poſtquam flexis genibus, manibúſque iunctis ſacram Hoſtiam religiosè venerati ſunt, abiiciunt ſeſe illicò ad terram fuſo corpore dum Calix conſecratur, quem perpatum attollit Sacerdos; Quo nititur quorumdam opinio, qui putant ritum attollendi calicis cepiſſe ab annorum centuriis aliquot, cùm etiamnum in Oriente nō ſit in vſu multis in locis.

Chryſoſt. hom. 7. & 52. in Matth. & alibi ſæpe.
Aug. in Pſ. 98. 5.

6. Iam verò in illis corporis habitibus, quis aptior ſit huic pietatis officio, vt iudicium feratur, cùm illud perſolui, vel palam, & in luce om-

nium,

nium, vel clam, & procul à proſpectu portatur, principiò ſtatuendum eſt quocumque illorum vtemur, nunquam prætermittendam nobis eſſe tum initio, tum ſub finem ſalutationem honorificam demiſſo humiliter corpore, cùm præſertim colatur illic Deus in cuius conſpectu tremunt ipſæ cœli columnæ, réſque creatæ demiſſæ iacent.

7. Cùm ab oculis aliorum erimus remoti, inflexionem corporis adiungere pium erit, & laudabile; & licèt vſque eò demitteremur, dum terra ore, vel fronte tangeretur; id tamen non eſſet ſuprà legem officij, ac Dei dignitatem, quæ cùm ſit infinita, multò plura ſibi iure, ac meritò vindicat. Viſi ſunt D. Ioanni ſenes quatuor, & viginti, ac Cœlites ipſi in os, ac vultum concidere ad Regium ſolium. Quoties verò Beati illi Principes Aras, in quibus ſacra Hoſtia reſidebat, viſi ſunt ſtipare, fuit illis ſemper habitus, & condecentia permodeſta. *Apoc. 7. 11.*

8. Si palam viſitur, non patiar quemquam ſtare recto corpore, niſi cogat certa neceſſitas; Quoniam videretur iſte

iſte habitus minùs venerationi congruens, quem etiam priuatim vſurpare minimè velim. Dimidium enim quartæ partis horæ, vel etiam minùs, quod in his ſalutationibus impenditur, tam citò elabitur , vt infirmo admodùm corpore oporteret eum eſſe, qui rectus illic ſtaret. Non prohiberem in prece longiore, in quâ tantiſper leuandum defatigatum corpus, vt mens teneatur attentior.

9. De corporis abiectione, ab eâ mihi coram temperarim, quoniam in communem conſuetudinem cùm illa non venerit, in voculas aliorum magis incurreret, quàm illis eſſet exemplo ; clam autem probauerim,
Caſſ. l. 2. de Inſt. c. 7. vbi per loci opportunitatem liceret, & modo breuiter fieret, vt moris erat Monachorum Ægyptiorum (Caſſiano teſte) qui vſu didicerant figurâ iſtâ corporis, ni citò ſurgerent, ingraueſcere ipſis caput , ac ſomno conni-
2. Reg. 12. 16. Iudith. 1. 1. uens conſopiri. Verùm in rebus aduerſis, quia id metuendum minùs, poſſet illa produci longiùs Dauidis exemplo filij morbum deprecantis; & Iudithæ ſupplicãtis pro populi ſalute.

10. Ge

10. Genuflexio, abſolutè magis probatur, eſtque habitus corporis omnium aptiſſimus, quæcumque tandem ratio teneatur in viſendo Sacramento, præſertim ſi adiungatur ſummiſſa, & modica inclinatio cum modeſtiâ illâ generali, quâ ceruix bellè quieſcat, oculi non contorqueantur huc & illuc, manus inter ſe iunctæ ſint, vitetúrque id omne, quod aliis aut impedimento, aut offenſioni poſſit eſſe.

11. Circumire Aras, eas oſculari, extendere in crucem brachia, & alij eiuſmodi geſtus pij concedi poſſunt, cùm oratur clam, non autem palam, niſi quibus in locis à pietate in mores inducti ſeruantur. Enimuerò excitabimur ad hoc genus officij Deo religiosè reddendum, ſi nobis veniat in mentem D. Pauli, qui iubet *Glorificari Deum à nobis, & ferri in noſtro corpore*, eo ſcilicet tradito, vt monet alibi *1. ad Cor. 6.20.* in *Hoſtiam viuentem, ſanctam, rationabilem.* *Ad Rom. 12.1.* Cùm enim conſtemus ex animo, & corpore, atque ex Deo natura noſtra pendeat, tenemur lege naturali, & ſanctiſſimâ vtrâque noſtri parte

te illum colere ; ſic vt non modò intus veneremur ſacrificio mentis interiore, & quod in oculos non cadat, ſed extrà,& foris ſacrificio,quod fiat extrinſecùs in corpore , ſítque grati animi teſtimonium : ſi aliter nos geſſerimus contenti ſolâ veneratione, quæ animo fit, nec adhibitâ eâ,quantùm in nobis ſitum eſt , quæ eſt corporis, modo aliquo ex iis, quos attulimus , vel alio quopiam, qui ad illos accedat , arguemur certè coràm Iudice,conuincemúrque rapinâ, qui contrà ipſius voluntatem rem illi debitam retinuerimus, atque adeò condemnabimur ingrati animi ob noſtri partem alteram , ac demum incidemus in pœnam conſtitutam iis,qui
Deuter. 6.5. legem violauerint , quæ de illo & amando, & colendo pro viribus, lata eſt: In quo profectò noſtra excuſatio eò minùs probabitur , quò magis eſt nobis compertum , & exploratum tam eximiâ ſapientiâ, támque mirificâ arte vſum eſſe Deum in fingendo corpore, ac ſingularum partium concinnitate , figurâ , collocatione , vſu ipſo perficiendis , vt diuini operis
contem

ontemplatione ſuſpenſi viri inter xternos homines maximè ſuperſti-oſi, illud carmine condito celebra-:, & exornare coacti ſint. Agè ergo, trumque illi honoris officium per-)luamus;& licèt, quod interiùs eſt, l præcipuum ſit,non negligamus ta-ien, quod eſt extrinſecùs, memores Ioyſe ſuprà montem preces funden-: brachiis in cœlum ſublatis, ſupe-orem fuiſſe Ioſue in pugnâ contra ımalechitas, quandiu ſic ille manus)mpreſſas tolleret; contrà verò iis miſſis Amalechitas;eáſque proinde) Aarone,& Hur, quibus hoc fuiſſet :prehenſum, vſque eò ſubleuatas em integrum,quoad Hebræi victo-am reportâſſent. *Exod.17. 11.*

:. Author interdum fui nonullis, ıibus precandi facultas exaruerat, cùm in eo ſtatu eſſent, animóque)n probè affecto ad munus ſuum ıgendum, tùm ſaltem commoda-nt corpus ſuum ad venerationem, nuerterent in diuerſos habitus ho-)ris causâ,cum demiſſione, ac reue-ntiâ, perſtarent coram in ſingulis quandiu, proponeréntque ſuam

inopiam

inopiam hiſce veibis. *Quando quidem exaruit adeò facultas animi, nihil vt præſtare poſſit iuxta ac cuperem: accipe, Domine, ſi placet, hoc munus, penſúmque mei corporis, cui magis impero, quàm menti; Cerne illud, magne Deus, hac conformatione oris, vultûs, ac membrorum: ſic equidem compoſitum volo tui cohoneſtandi ſtudio, meam vnius vicem dolens, qui iam tribuere nihil poſſim amplius.* Vide hoc tam multùm valere ad languorem, & ſoporem excitandum, recreandóſque animos, vt quemadmodum non dubito id pergratum illi eſſe, & maximè acceptum: ita exiſtimem ex eo præſertim proficiſci, quòd officium illud membrorum, totiúſque corporis ipſi perplaceat. S. Macarius Ægyptius ſummus Chriſtianæ Philoſophiæ Magiſter, cùm vidiſſet Palladium cogitationibus de ſolitudine deſerendâ, quòd in eâ videretur operam perdere, ſanè permoleſtis exagitatum, monuit eodem ſenſu, cogitata illa hoc vno reſponſo refelleret, continere ſe domi amore Dei, cellámque cuſtodire.

Pallad., in Lauſiac.

CAPVT

CAPVT X.

De loco huiuſce viſitationis.

1. TAmetſi præſtans illa Dei natura tota ſit vbique, & per omnia ac ſupra commeet, tanquam illorum virtus, & animus, nullúſque ſit in hoc terrarum Orbe locus, quem non compleat ipſius immenſitas, perſpicacia non attingat, non peruadat infinitas. Tamen non abs re pronunciatum à Dauide fuit in locis præſertim duobus, Cœlo, inquam, & Templo Deum conſiſtere: ſi enim idcirco in rebus omnibus eſt, quòd in illis aliquid efficiat: fateamur oportet inibi eum eſſe maximè, vbi cernuntur ipſius opera præcipua, quæ Pſ. 10. 5. ſunt gloriæ, & gratiæ. Illa autem efficiuntur in Cœlo, hæc in ſacris ædibus ope Sacramentorum, quæ ſunt ad ea inſtrumenta. Ex quo conficitur, nullibi Deum & conſidere dici æquiùs poſſe, quàm in hiſce locis duobus.

2. Quod cum de Diuinitate explo-

ratum eſt: tum etiam certè de naturâ ipſius humanâ, quæ in Cœlo conſidet ad Patris dexteram ſplendore maximo illuſtris, ac prædita ſummâ in Cœlites poteſtate. Ope verò huius Sacramenti ea conſiſtit in Templis ſingulari quodam modo. Nam licèt in ſacrâ epulatione reipsâ in nobis ſit, perinde ac in auguſto pegmate: non tamen ita conſtanter, & perpetuò. In nobis enim permanet tandiu, dum quæ appellant, accidentia ſeruantur integra: contrà verò in ſacris ſedibus omni tempore., iteratâ hoſtiarum conſecratione, quæ fit poteſtate perpetuâ, quam Chriſtus Eccleſiæ impertitam voluit, inſitámque verbis myſticis, quæ ore Sacerdotum proferuntur, iiſque adeo efficacibus, ſacram vt Menſam ſemper extructam exhibeant, nec deſiſtant id apponere, cuius ſumendi nulla
Exod. 25. 30. fiat intermiſſio. Atque multò ſecùs, quàm olim viſi ſunt Panes, quibus
Lev. 6. 12. Propoſitionis nomen fuit, nunquam in menſâ deſiderari, ſempérque ardere ſacer ignis ſuper aras. Defuere enim tandem illi panes, extinctúſque

ae ignis : Res autem, quam illa ſi-
nificabant, non intermittetur vn-
uam, dum hominum vigebit ætas.
Manna pluere non eſt deſitum in ſo- *Ioſue 5. 12.*
tudine, donec in regionem Maio-
ibus promiſſam pedem Iſraëlitæ in-
ulerint. Eadem erit Manna Euange-
ici ratio, quod permanſurum eſt, quo
d ex hoc Mundo veluti loco deſerto
n Cœlum, quod veram illam Pro-
miſſionis Terram eſſe dixerim, intro-
erint electi; Quo certè videtur Chri-
ſtus præſtare ſingulari exitu, quod
Apoſtolis promiſit diſcedens, *Ipſum* *Matth. 28. 20.*
fore nobiſcum vſque ad conſummationem
ſæculi. Quod beneficium eſt eiuſmodi;
hac vt prærogatiuâ gloriari nobis li-
ceat Deum hominem apud nos ità
verſari, nullus vt ſit pagus, villa nulla,
in quâ ipſe non conſideat, & ſi de-
gant illic non plures, quàm triginta
incolæ, augeat ipſe numerum vno.
Præclarè Chryſoſtomus. *Hîc terram* *Chryſoſt. hom. 24. in 1. ad Cor.*
tibi Cœlum facit hoc myſterium. Aperi
ergo Cœli portas, & perſpice, vel potiùs
non cœli, ſed cœli cœlorum, & tunc vide-
bis, quod dictum eſt. Nam quod illic eſt
omnium pretioſiſſimum, hoc oſtendam tibi

ſitum in terrâ; ſicut enim in regiâ id quod eſt omnium magnificentiſſimum, non parietes, non tectum aureũ, ſed corpus Regis ſedens in ſolio; ſed hoc tibi nunc licet videre in terrâ. Non enim Angelos, nec Archangelos, ſed ipſorum oſtendo Dominum; vidiſti quemadmodum quod eſt omnium præſtantiſſimum, & maximè honorandum vides in terrâ: neque ſolùm vides, ſed etiam tangis, ſed comedis, & eo accepto domum reuerteris. Num iſtud eſt Deum habere proximum præ cæteris populis? An Poëtæ, quamuis multa ſuis fabulis commenti, fingendo exprimere potuerunt Deorum cum hominibus amicitiam, conſuetudinémque eam, quam inter nos, ac Deum perfamiliarem nobis iunxit diuinus amor? *Exulta, & lauda habitatio Sion.* Eccleſia, inquam, Catholica, *Quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.* Hic igitur locus eſt, in quo præcipuè, & colendus eſt, & viſendus dum in Cœlo luce diffuſâ conſpiciendum ſeſe nobis exhibeat.

Iſaia 12. 6.

3. Priſcis illis hominibus hæ voces olim perſonuere, *Adorabitis procul, ſolúſque Moyſes aſcendet ad Dominum*

Exod. 24. 1, 2.

ſit

ut inter vos, & arcam ſpatium, cubitorum duûm millium? Cauete ne appropinquetis ad arcam. Iam verò monemur, vt *ad thronum gratiæ cum fiduciâ adeamus, vt miſericordiam conſequamur.* Ex quo enim tempore. *Apparuit nobis benignitas Saluatoris*, ſeuerâ illâ lege, & graui ſoluti ſumus, & liberi: Et qui ſponſus introducitur in ſacro carmine ſponſam inuitans ad cellam, ille idem eſt, ait S. Ambroſius, qui nos ad S. Euchariſtiam amicè vocat. Exædificatum à Salomone templum Deo ſic placuit, vt huius loci ergo interpoſitâ fide in ſe receperit. *poſiturum ſe nomen ſuum ibi in ſempiternum; fore oculos ſuos, & cor ſuum ibi cunctis diebus.* Quæ ſi de priſco illo Templo dicta ſunt, quid tandem exiſtimandum de ſacris Chriſtianorum Ædibus, quæ ſunt domus altera, cuius *Gloria* ex Aggæo Prophetâ, futurâ erat maior *quam prima*, hoc eſt Templi.

Ioſue. 3.14.
Ad Hebr. 4.16.
3. *Reg.* 9. 3.
Agg 2. 10.

4. Stephanus Identius Canonicus Bruxellenſis narrat tanquam rem certam, & comprobatam de Ciue eiuſdem vrbis viro probo. Cùm ad Sacram ædem conſueuiſſet adire quo-

tidie benè manè precaturus ad Auguſtiſſimum Sacramentum, precanti illi de more. Anno 1436. menſe Nouembri viſus ab Arâ præclarum lumen, vóxque iſta exiſtere, *fili mi, hoc loci coli velim, & exorari; Qui me hîc inuocauerint certâ fiduciâ eos ego ab omni ægritudine liberabo.* Inducamus in animum oportet vocem iſtam ad nos pertinere, atque ab amantiſſimo Domino, qui ſuum amorem non remittit, inuitari nos ad Aras.

5. Vt ipſius afflatu primis Chriſtianis tantæ curæ fuit in periculis, & aſperis temporibus de celebrandâ ſacrâ Synaxi, inde vt referrent domum vitæ panem, qui eos ſic corroborabat, vt inuicti nullam Tyrannorum crudelitatem, furorem nullum reformidarent: ita eiuſdem inductu numquam vllum iter magni momenti ſuſcipiebant, quin ſacram Hoſtiam itineris ſuî comitem haberent. Hoc conſtat ex præclaro illo facto S. Satyri, quod S. Ambroſius ipſius germanus frater commemorat his verbis. *Eodem conſilio* S. Ludouici circumferebatur in acie, quemadmodum apud

Ambroſ. orat. fun. de obitu Satyr.
Iouius l. 1. de viris illuſt. in Salad.

apud Iſraelitas Arca, Solis ſimulacrum apud Perſas, quibus erat Dei loco. Neque in Regiâ ſupellectili, quæ tum illi erat, cùm in Soldani manus incidit, aliud quidpiam è vaſtatione Rex ſanctiſſimus eripuit; quam ſacram Hoſtiam, quâ nihil erat ipſi pretioſius, pro pignore tradidit Ægyptio, nihílque habuit antiquius, cùm primùm in Galliam rediit, quàm vt illam repeteret, quod pro capite pactum fuerat, allato pretio. Nunquam Summus Pontifex foras exit procul ab vrbe, quin Euchariſtia cum Cruce præcedat, tanquam dux, ac præſes itineris. Neque fuit quidquam Mariæ Scotorum Reginæ maiori ſolatio annos 20. cùm & libertate, & religione caruit, quàm occulta veneratio, cultúſque pretioſiſſimi depoſiti, quod factâ à Pio V. poteſtate, aſſeruatum in pixide clam habebat in interiore domo.

1. Reg. 4. 5. Alex. ab Alex l. 4. gen. dier. c. 1.

Flor. Raym. de Hæreſ. l. 6 c. 19.

6. Vt (quæ Dei miſericordia eſt) non incidimus in tam difficilia tempora: ita profectò nobis foret magno crimini priuari tanto bono præ negligentiâ, cùm præſertim eo perfruendi

tanta opportunitas offeratur à ſacrarum ædium, in quibus aſſeruatur, multitudine, Dauidem audiamus. *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius.* Noui
Pſ. 131. 7. aliquos verè Chriſtianos, qui, cùm domi continentur à negotiis, ſecedunt in cubiculum ſecretò, & conuerſi ad locum, in quo ſanctam Euchariſtiam aſſeruari norunt, eam venerantur, idémque præſtant non egreſſi
Iſai. 38. 2. foras, quod ad Aras in Templo. In quo Ezechiam Regem ſanctum imitantur, qui cùm à graui morbo precari non poſſet in æde ſacrâ, huic officio vt non deeſſet, parietẽ aduerſum ſpectabat perinde cogitatione attentus, ac ſi fuiſſet corpore ad Arcam ſtrato. Danielis Prophetæ id etiam moris
Dan 6, 10. fuit captiuitatis Babylonicæ tempore, cùm ad domum ſuperiorem ter quotidie aſcenderet, precéſque ad Deum ſupplex funderet, verſo vultu, apertáque feneſtrâ, Hieroſolymam verſus. Non equidem dubitò, quin vt viris illis Sanctis tam bellè, ac feliciter iſtud cecidit ad exorãdum Deum: ita ab iis Chriſtianis, quos attuli, ex
illâ

illâ ſuâ pietatis exercitatione fructus eximij percipiantur, ſicque Deo æquè gratum, quod mente acri, & vigenti ipſi religiosè perſoluunt, ac ſi reuerâ ad Aras genibus connixi ſupplicarent.

7. Ad extremum puellis, ac fœminis, quas in communi vitæ conſuetudine ſancti cum Deo congreſſûs cupiditas tenet, ſuaſerim, vt iſto Eucharistiæ conſalutandæ modo vtantur, ſtatuántque ad hunc finem domi ſuæ, vt olim Iuditha, precationis pluteum, in quo ex vſu de die (præter horas matutinas, cùm ad Templum adeundum illis eſt, vt ſacris interſint, & pomeridianas diebus Dominicis, & feſtis, cùm eodem ſe conferunt ad veſpernas preces) faciant ſuæ pietati ſatis. Neque enim decet eas vagari multum, & volitare totâ vrbe; ſemper illis ſûdi fuit ſolitudo, atque id cauſæ eſſe putem, cur, viris cùm adeundi templi ter quotannis fuerit olim à Deo impoſita lex, eâ, ne ſemel quidem tenerentur fœminæ. *Idith.8.*

CAPVT XI.

De tempore idoneo.

1. HOc inter Deum, atque homines, quo ad collocutionis tempus, diſcrimen eſt, vt non videatur hora quælibet eſſe opportuna Deo ad colloquendum homini: hominibus autem Deo vtendi familiariter nulla non præbeatur opportunitas. Poſtquam Moyſes tabulas legis proponendas in publico à Deo accepit; deſpexit, cùm de monte deſcenderet, ſaltantem plebem ritu ebriorum, circum vitulum, quem à ſe fictum colebat. Quo ſpectaculo perculſus, quas ferebat tabulas proiecit confregitque ad radices montis; ſilentio præteriens, quæ deferebat mandata, quòd probè noſſet ea non poſſe tum exponi cum fructu, nec tempus idoneum eſſe iis exequendis ex illius mente, à quo ipſe veniret legatus. Sic etiam ad Dauidem Regem, cùm turpe adulterium, quod innocentis viri cædes nefaria ſecuta eſt, admiſiſſet: non ſtatim

Exodi 32.

2. Reg. 12.

à Deo miſſus eſt Propheta, Quoniam ardente adhuc animo cupiditate mulieris, inflammatóque libidine; non patuiſſent aures monenti. Enimuerò hæ non patuerunt niſi vertente anno, cùm ad illum adiens Nathan criminis confeſſionem ex eo elicuit. Neque enim is eſt clementiſſimus Dominus, qui velit hominem implicatum grauiori crimine, in quod certè lapſurus eſſet monitorum repudiatione, ſi ad eum imparatum moniturus, qui accederet, cúmque fortè eâdem, quâ illi apud Iobum, arrogantiâ reiecturus, *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Iob.21.14.

2. Non eſt eadem ratio adeundi Numinis, non hora captanda, quâ pateat aditus. *Veſperè, & manè, & meridie*, inquiebat olim Propheta, *narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* Pſ.54.18. *Quando aliquis vult cum Deo loqui* (ait S. Chryſoſtomus) *non aſſiſtit miles qui expellat, non ſatelles qui tempus interrumpat, non eſt qui dicat. Non eſt nunc tempus accedendi, ſed veni poſtea.* Chryſoſt. in Pſ.4. Omnino nihil eſt in Deo eiuſmodi, qui, cùm animi tranquillitate

infinitâ perfruatur, nullis negotiis interpellari poteſt. Quo cùm nitamur, licet illum conuenire qualibet horâ, & quoties libuerit, ſiue interdiu, ſiue noctu.

3. Cùm in terris verſaretur mortalis cum mortalibus, ſuæ illi erant horæ congreſſûs, & colloquutionis, neque quocumque tempore cum vnoquoque, atque adeò Apoſtolis ſermonem habebat. At verò in hoc amoris arcano monumento nobiſcum agit beneficentiùs; ac, nequis ipſius patientiæ ſubdiffidat, tulit inibi interdum impiorum grauiſſima conuitia, perinde ac ſi ea non audiiſſet. Quòd ſi qui dedere pœnas aliquando, hoc factum noſtri causâ, quo de ipſius præſentiâ eximeretur ſcrupulus, dubitatióque omnis. Luculentum illud ſanè, quod de homine impio refert Thomas Valdenſis ſcriptor pius, & eruditus. Figebat ille maledictis ſacram Eucharistiam Londini in æde D. Pauli coram Antiſtite, effutiens eam minùs dignam eſſe honore, quàm araneolam, cùm ecce tibi vna magnitudine inuſitatâ, ſpecie nigrâ, & horribili, de
Vald. de Euch. c. 63.

testudine

teſtudine deſcendere pendens è ſtamine, ac in hominis conſceleratiſſimi labra ſacrilega deſilire rectâ parata inferre ſeſe, & intrudere in os, ni ſibi temperâſſet à conuitio.

4. Illis itaque adducti teneamus pro certo auditum iri preces noſtras, quotieſcumque illò acceſſerimus Deum viſitaturi. Quoniam tamen ab Eccleſiâ certæ ſunt horæ conſtitutæ precibus, videtur conſentaneum eſſe huic exercitationi ſtatum, ac definitum tempus. Triplex eſt, meo iudicio, peropportunum, ac idoneum ſatis commodè, quod etiam, S. Clemente teſte, deſtinatum fuit ab Apoſtolis precationi è Domini formulâ; videóque in ſanctis litteris, quod ad hunc Cœleſtem cibum attinet, inſigniter notari; Matutinum, inquam, Pomeridianum, Veſpertinum. Enimuerò manna colligebatur. Panéſque Propoſitionis Menſæ in Tabernaculo apponebantur diluculo; ſub meridiem poſt multiplicatos panes ordeaceos recepit Chriſtus daturum ſe panem alium, Corpus, inquam, ſuum ad homines alendos; veſperi præbuit illum in

Clem. Conſt. Apoſt. l. 7. c. 23.

Exod 16. 21 l. Reg. 21. 6. Ioſeph. 1. 3. antib. c. 10.

Ioan. 6. 13. 51. Math. 26. 26.

in poſtremâ cœnâ.

5. Iiſdem temporibus factæ ſunt celebertimæ, & Chriſto honorificentiſſimæ viſitationes. Paſtorum manè, Magdalenæ in domo Simonis Phariſæi ad horam prandij. Magorum in vrbe Bethleem ſerò. Cùm enim eodem die venerint Hieroſolymis poſt conſultationem Doctorum, plurimúmque cum Herode Rege de ortu ſideris ſermonem habitum, non potuerunt illò accedere, niſi ſeriùs, ex quo totam illic noctem commorati ſunt. Deinde tempus matutinum delegit olim Deus, quo ſe viſendum populo præberet *Manè videbitis*, inquit Moyſes, *gloriam Domini*. Idem tempus optabat Dauid ſtudio contemplationis, *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo.* Ad meridiem ſponſum quærebat ſponſa; horâ eâdem in Chriſtum incidit mulier Samaritana, atque tam felici exitu, aquam vt ſalutis hauſerit pleno ore. Huic exercitationi pietatis quàm commodum ſit nocturnum tempus, indicat ſatis ipſa noctis quies, ipsúmque ſilentium: hac opportunitate cum Domino colloquen-

Luc. 2. 15. Idem 7. 36. Matth. 2. 12. Exod. 16. 7. Pſ. 118. 148. Cant. 1. 7. Ioan. 4. 15. 39.

di vtebatur Nicodemus. Satis igitur erit hiſce horis ſemel ad Aras accedere, huius vt religioſi officij partes ſanctè agantur. Quanquam ſi quis cœleſti quodam inflatu è Charitatis, & Obedientiæ lege impelleretur ad aliquid ampliùs, vt de B. Magdalenâ Pazziâ Carmelitanâ perhibetur, cui mandauit Deus aliquando, vt ter, ac trigeſies tum de die, tum de nocte ſacrum Altare viſeret ad memoriam totidem annorum, quibus vixit in terris Chriſtus, ſanè fauerem illi conſilio meo, atque eò libentiùs, quò magis me afficit iſte numerus hac periſtaſi, compluréſque alios in muneribus piis obeundis, ac maximè in vſu afflictationis corporeæ cùm Æterno Patri flagellorum ictus tres & triginta, vel aliud quidpiam numero eodem præbent ad impetrandam partem eorum, quæ totidem annis vitæ ſuæ nobis comparauit Dei Filius.

Ioan. 3. 1.

In eius vitâ excusâ Piclaüis, c. 3.

6. De horis autem cùm eſt ſermo, nolim in his ſalutationibus horam integram poni; imò dimidium quadrantem, vel etiam minùs ſatis eſſe puto. Cùm enim iſtæ ſalutationes iterentur

rentur crebrius præter cæterarum precum, quæ longiores ſunt, quotidianum penſum, verendum eſſet, ſi longiùs illæ producerentur, ne ab his faſtidio, & ſatietate abalienandus eſſet animus, quem contrà iſtâ breuitate recreari, certâ compertum eſt experientiâ.

Caſſ. coll. l. 9. c. 36. & de Inſt. lib. 2. ca. 10.

7. Hanc perbreuem cum Deo colloquutionem, vt pote, quæ minùs eſſet obnoxia variis cogitationibus, quibus mens auocaretur aliò, magíſque libera à Cacodæmonis afflatu, ſuadebant, vt refert Caſſianus, priſci Anachoretæ. Quod confirmans Auguſtinus hæc habet de Monachis Ægyptiis. *Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, ſed eas tamen breuiſſimas, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ plurimùm neceſſaria eſt, per productiores moras euaneſcat, atque hebetetur intentio.* Verùm vnde potiùs petẽda nobis iſta documenta, quàm è ſummi Magiſtri exemplo, qui horis continuis tribus, quibus pependit è cruce, contractiores iſtiuſmodi preces, tanquam ſagittas, quæ ad Patris ſolium vſque penetrarent.

Aug. ep. 121. c. 10.

trarent, contorquebat identidem? Nunc & ſalutem eorum, qui necem inferebant, ſupplex à Patre deprecans. *Pater ignoſce illis*, inquiebat, *quia neſciunt, quid faciunt*; Aliàs ſuam animi ægritudinem commemorans, *Deus meus*, ſubiiciebat, *Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Denique cùm animam mox efflaturus eſſet, Deo ſeſe committens, *Pater*, addebat, *in manus tuas commendo ſpiritum meum.*

Luc. 23. 34.

Matth. 27. 45.

Luc. 23. 46.

8. Velim itaque parum temporis in has conſultationes impendi; at ſtudio acri, & vigenti, quódque creberrimum ſit, ne in nobis culpa hæreat eorum, quibus nonniſi diurnus eſt pietatis ſenſus, non diſſimilis torrenti, qui rapidè magno cùm ſtrepitu erumpens, nocte vnâ exareſcit; atque animi ardor, qualis eſt illorum ignium, qui exorti veſperi per aëra feruntur, quíque ſimul ac luxere, propemodùm extinguuntur. Quem in hac parte feruorem poſtulo, eum & propoſito conſtantem, & ſtabilem perſeuerantiâ oportet eſſe, qualia ſunt cœlo infixa ſidera, quæ lucent illic perpetuò, nec

nec lumen amittunt vnquam. Pietatem noſtram ſi non aliunde, quàm ex humano ſenſu petita argumenta corroborent, flacceſcet illa propediem, neque diu permanebit. Non ſunt difficilia rerum bonarum initia, laudem virtutis habet vna perſeuerantia. A naturæ inſtinctu duci poſſunt actionum honeſtarum principia: perſeuerantia in gratiam ipſam confertur. Illa communia ſunt improbis: hæc proborum eſt, qui Cœlo deſtinati ſunt.

CAPVT XII.

De iis, quæ in his viſitationibus agenda ſunt, ac primùm de laudibus.

1. MVnus iſtud pietatis actionum, quæ hîc fiant, honeſtate maximè continetur. Ad tria autem capita generatim reuocari ponendum eſt, Laudationem, petitionem, gratiarum actionem.

2. De laudatione, animaduertendum eſt

eſt in iis præclaris dotibus, quas à Baptiſmi Charactere conſequuti ſumus, præcellentiſſima eſſe Regiæ dignitatis, ac Sacerdotij myſtici inſignia. Eniminerò ſic librum Apocalypſeos interpretor illa cùm nobis tribuit, ſic ſancti Petri verba, quibus nos compellat *Gentem ſanctam, populum acquiſitionis, Regale Sacerdotium.* Neque aliud voluit Sanctus Leo, cùm ait: *Omnes in Chriſto regeneratos crucis ſignum efficit Reges. Sancti verò Spiritûs vnctio conſecrat Sacerdotes.* Regnum iſtud poſitum eſt in appetitu gubernando, coercendis animi perturbationibus, bello cum cacodæmone gerendo ſtrenuè, victoriâ de hoſtibus occultis reportandâ: ſacerdotium de ſententiâ S. Petri, in præbendis Deo hoſtiis laudũ noſtrarum, quibus ille adeò delectatur, eas vt commendet apud Dauidem his verbis magnificè. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei*, hoc eſt, ait gloſſa. *Vnctum, & Chriſtum Dei.* Nihil enim eſt opportunius, illum vt habeamus beneficum, & ſalutarem, qualem in

Apoc. 1. 6.
1. Petri 2. 9.
Leo ſerm. 3. de ſuâ Aſſumpt.
1. Petri 2, 6.
Pſ. 49. 23.

eo viſendo fore ſperamus, quàm ſacrificium iſtud laudis.

3. Et verò tanta ſunt támque illuſtria in hoc Sacramento laudationis argumenta, vt iis, quæ Beatis illis mentibus in cœlo ſuppetunt, minimè concēdāt. Hîc enim Diuinitas cum naturæ ſuæ dotibus conſidet, hîc perſonæ tres diuinæ cum proprietatibus *Notionalibus*; hîc natura humana cū Verbo coniuncta ſecundùm perſonam; hîc Corpus beatum eâdem, quâ in cœlo, membrorum integritate, eâdem pulchritudinis ſpecie, regio ſplendore, & ornatu eodem; ſanguis pretioſiſſimus, qualem recepit cùm ad vitam rediit; Animus ſanctiſſimus, quem gratia, & gloria mirificè exornat; denique ſatisfactionum, & meritorum infinitorum opes immenſæ. Tametſi enim ex verborum ſacrorum ſignificatione in Hoſtiâ Corpus duntaxat, Sanguis in calice conſtitutus ſit: tamen conſecutione quâdam neceſſariâ, & veluti comitatu cætera omnia adiunguntur. Cùm *Trid. ſeſſ. 13. c. 3.* enim Chriſtus nec ſuis opibus carere vnqnam, nec mori poſſit, conſequens

quens eſt ipſius animum à corpore,& ſanguine non poſſe diſiungi:cúmque perſona diuina nec ab animo, nec à corpore, & ſanguine, quibus cum illa ſeſe coniuxit ſempiterno vinculo, diſſociata diſcedat, conficitur profecto vbicumque ſunt partes illæ, ex quibus natura ipſius humana conſtat, ibidem eſſe perſonam eiuſdem diuinam, ac proinde quæ Patris eſt, & Spiritûs ſancti, quarum natura eſt vna cum hypoſtaſibus tribus omnino eadem. An quidquam & cogitari præſtantius,& optari nobilius, & pretioſius haberi poteſt? Acharem Pyrrhi Regis prædicauere Veteres, vt æſtimatione omni maiorem, in quo naturæ mirificâ induſtriâ, in ipsâ diuerſarum venarum commiſſurâ expreſſus erat Apollo cum Muſis nouem ſuis diſtinctè inſignibus. Quis ergo hanc Eccleſiæ gemmam æſtimet, in quâ exiſtit, non effigias expreſſe! ſed veritas, non fictæ diuinitatis, ſed Dei, ac Domini veri, eiuſdémque Mundi Saluatoris, inſtauratoríſque? Poteſt igitur quilibet nullo negotio, licet in exercitatione virtutis perparum

Plin. lib. 37. cap. 1.

perparum verſatus, è campo tam vbere, támque patenti laudationis, quod primum erat actionum caput, petere materiam.

4. Die Chriſto nati cùm ex Angelo accepiſſent paſtores Verbum carnem factum inuentum iri in ſtabulo iacens in præſepi, ad hunc nuntium auditus repentè, vt perhibet Hiſtoricus ſanctus, concentus cœlitum quamplurimorum iſtud canentium;
Luc. 2. 14. *Gloria in excelſis Deo.* Nimirum incomprehenſæ bonitatis, quâ pro hominum ſalute abiecit ſeſe Deus ad præſepe, admiratione obſtupefacti, intellexerunt dignum illum vel hoc nomine eſſe, qui nouis laudibus ornaretur, ornarúntque ipſi tùm aere illorum cantu muſico perſonante. Quid ergo laudis mereatur ſignificatio altera amoris ſanè mirabilis, quo idem Deus ſeſe præbuit hominibus in cibum, quem reipsâ ſumant, edantque?

Pſ. 110. 4. 5. Manna impertiti olim Hebræis in loco deſerto memoriam repetens Synagoga vetus, teneri non poterat, quin erumperet in laudes ſexcentas.

Verùm

Verùm, quantumlibet admirabilitatis faceret in cœleſti cibo tum cauſa illius efficiens, tum natura, & mirifica vis, quid aliud porro fuit, quàm vmbra quædam corporis, figura veritatis, perfecti operis in hoc diuino Myſterio conatus quidam, & adumbratio? De miraculis enim; Num hîc efficiuntur præſtantiſſima? ſacra Hoſtia panis ſpeciem præſefert, cùm tamen verè ſit Chriſti caro. In hac naturæ mutatione non mutantur ea, quæ illi accidunt extrinſecùs, nec à pane, quo nitebantur, diſiuncta intereunt. Chriſti corpus inibi totum eſt, & integrum, nec vlla eſt tamen tam exigua hoſtia, atque adeò hoſtiæ pars, in quâ etiam non contineatur ipſummet totum, & perfectum; illud de cœlo non migrat, nihilominùs ſimul eſt nobiſcum in terris, nec in loco vno ſolùm: ſed ſuper Altaria, & id toties, quot ſacræ ſunt hoſtiæ. Quandiu inuolucra permanent, ab his non diuellitur, atque tùm duntaxat deſinit ſub illis eſſe, cùm iſta deſinunt. Non tamen continuò in nihilum redigitur, nec verè
aſſeuerari

aſſeuerari poteſt illud commigrare, vel transferri aliò. Diuinus iſte cibus animorum etſi totus præbeatur vni, cæteris tamen totus reſeruatur, eoque pariter ſatiantur omnes. manſus, & in os inſertus ſemper ſuppetit, & quotidie ſumptus permanebit ad extrema Mundi tempora. O panem admirabilem! ô exquiſitiſſimum cibum! ô eximium, non Cœlitum, ſed Dei præpotentis opus, quod vt perficeret ſingulare ſui amoris monumentum, ſummæ virtutis præcellentiſſima quæque miracula collegit. An qui rem ità ſe habere credit, temperet ſibi à cantu, & laude?

3. Cogitanti Dauidi, quàm largè ſeſe effundat in naturam ſibi commiſſam Dei prouida mens, quámque benignè conſulat alendis, quibus ſit vſura vitæ, tribuendo cuique generi alimentum percommodum, imbrem ſtirpibus, herbam animantibus, homini panem, & vinum, elicit vehemens deſiderium diuinæ gloriæ has voces. *Quàm magnificata ſunt opera*
Pſ. 103. 24. *tua, Domine!* An non à veritate deſciuimus, incidimúſque in inſaniam,

ſi

ſi quæ ſuâ prouidentiâ præſtitit Deus, non ipſis modò corporibus, ſed animis, attenta cogitatio, par ſtudium, ardorémque amoris non incendat? Mortuæ culpâ originis animæ aquâ Baptiſmi reuiuiſcunt, ſanctiùs, diuiniúſque; ad quam vitam tuendam ſanè opus erat cibo illius excellentiæ, apto, & congruenti, quemadmodùm vitæ corporeæ ſuum eſt proprium conueniénſque alimentum: vt nemo omnium vitam gratiæ communicare nobiſcum potuit præter Deum, ità quæ ad illam pertinent, prouidere, adminiſtrare nullus alius. Prouidit autem ipſius amor noſtris commodis ſemper intentus ingenioſè, ac ſolerter, cùm accommodatâ ad optimum conſilium vi præpotente, cœnatus poſtremò cum Diſcipulis, panem Euchariſtiæ vitalem, ac ſalutarem nobis, quorum illi partes, perſonáſque ſuſtinebant, beneficentiſſimè præbuit. ſumptus enim, vt illi ſumpſere, ore corporis, non corpus ſolum, quemadmodum eſcæ corporeæ, ſed animã alit vitã iſtam diuinam tuẽdo, & perficiendo, non ipſius in illã con-

S.Th.l.4. contrà gent.c.59. 61.

uerſione, ſed cõmutatione animæ in Deum, quippe quæ ad Dei ſimilitudinẽ tranſlata, non ampliùs è ſenſu animantium viuat, ſed ex mente, atque ex ipſo Deo, fingat ſeſe totam ad Dei nutum, ac voluntatem, proſequatur id vnum, quod ille amat, diuina cogitet, cœleſtibus oblectetur, adeò vt in ipſum corpus menti obtemperans diuinum quidpiam quodammodò redundet. *Cibus ſum grandium*, ſic Chriſtum loquentem inducit Au-gustinus, *creſce, & manducabis me; Nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me*: Eſca illa diuina, quòd cum ipſo Deo perpetuò coniuncta ſit, plus habet efficacitatis, quàm calor naturalis, quò fit, vt huius efficientiâ non poſſit in naturam noſtram conuerti, ſed potiùs vt ſuâ nos in ſe commutet, impertiátque naturæ ſuæ dotes ſui mutatione nullâ. Quæ igitur, & quàm ampla laudum ſeges, & materia? Num excitandi nos ad id pij muneris animus fuit Pontifici Maximo, cùm inſtinctu diuino venit illi nuper in mẽtem *indulgentiam* noxarum pleniorem tribuere

Auguſt. l.7.cont. cap. 10.

tribuere iis, qui iſtud piè vſurpaturi eſſent, *Sua ſit laus ſanctiſſimo Altaris Sacramento*, peccata ritè confeſſi, acceptique ſacris epulis, nec non etiam aliis, qui id conſcriptum eſſent habituri eo loci, vnde legi commodè poſſet, quique perlecturi eſſent. *Conceſſit Paulus 5. ann. 1614. confirm. Vrban. VIII. ann. 1624.*

CAPVT XIII.

De poſtulationibus, ac petitionibus.

1. QVòd ad poſtulationes, petitionéſque attinet, nemo non videt ex infinitâ beneficentiâ, quæ elucet in hoc ſingulari beneficio, quâ animi fiduciâ ad illas nobis accedere liceat; ſi enim petendi & ſemper, & vbique legem impoſitam voluit ſuâ fide obligatâ, *Petite*, inquit, *& accipietis, pulſate, & aperietur vobis*, profectò ſimilius eſt vero non repulſum iri nos, cùm illum reuiſemus, & coram genibus connixi religiosè conſalutabimus. *Ioan. 16. 24. Luc. 11. 9.*

2. Ecquid defecit magnam illam hominum turbã, qui cum incenſo animi

ſtudio in ſolitudinem ſequuti ſunt? Nūm illis proſpectum? num conſultum magnificè, ac lautè? Videbatur, quæ erat ipſius de ſalute illorū cura, habere eos liberorū loco, inſtituebat ignaros, mœrētes recreabat, oculos in cœlum coniiciebat, diuinam illis impetraturus opem, nec rogatus à quoquam manus porrigebat, quæ tanquam Amaltheæ cornu, cibum effunderent, quo ipſorum corpora, animique reficerentur. Quid non conceſſiſſet poſtulantibus, qui nihil petentes adeò liberaliter accepit? Quo in nos erit animo, ad eum ſuper Aras confidentem ſi adeamus? cùm præſertim ſacra veluti vbera præbeat lacte beneficentiæ adeò plena, nihil vt moleſtiùs ferat, quàm neminem adeſſe, qui illud ſugat. Nonne ibi ſeſe præſtat eum, quem Zacharias Propheta eleganter expreſſit: *Quid bonum eius*, inquit, *quid pulchrum eius niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

Zach. 9. 17.

3. Si ad ſepulchra Martyrum, ſi ad virorum ſanctorum imagines, ſi ad crucem ſui corporis contactu ſacram

ſacram, ſi ad conſpectum ſindonis, quâ obductus eſt ad ſepulturam, quidpiam ſupplicaturis accedentibus tam faciles aures adhibuit: quàm facilius, & beneficentius eædem patebunt iis, qui animo idoneè comparato ad has reliquias omnium ſanctiſſimas, ad hanc Patris Æterni ſpirantem imaginem, ad ſanguinem eumdem, idémque corpus, quod pro ſalute noſtrâ & traditum, & in crucem ſublatum, & in ſepulchro conditum eſt, piè, ſanctéque adierint?

4. Promiſſo teneri voluit, quod extat apud Iſaiam perſpicuum adeò, & dilucidum, nihil vt à Prophetâ potuerit proferri planiùs. *Adducam in montem ſanctum meum filios aduenæ, qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt ſint ei in ſeruos; lætificabo eos in domo orationis meæ, holocauſta eorum, & victimæ eorum placebũt mihi ſuper altari meo.* Isaiæ 56. 7. Qui enim filij illi aduenæ ad montem adducti, addictique Diuino cultui, niſi homines ad religionem verã traducti? Ecquæ domus illa Orationis, niſi Ædes ſacræ? Ecquæ holocauſta, niſi vota, precéſque

fuſæ ad ſanctum Altare? Qui verò illos oblectaturus eſt inibi, niſi ipſorum poſtulationi concedendo?

5. Cùm itaque tam pretioſa beneuolentiæ, amoriſque pignora ab illo habeamus, Ecquid moram nobis inferat, & impedimentum, quin ad illum, cùm res ipſa fert, aduolemus, ſupplicemúſque, poſtulata noſtra vt minimè repudiet? ſcilicet plus valeat ad nos retardandos ab hoc religionis officio tenuitas noſtra, quàm ad nos inducendos ad illud reddendum infinita ipſius miſericordia? Qui ſeipſum offert vltrò, is certè recuſare quidquam non habet in animo. Poſtulemus igitur, cùm illum viſimus; at ritè poſtulemus iterum, ac ſæpiùs, at quo pacto decet, non obliti quod Iacob.4.3. præclarè monuit S. Iacobus, *petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.* Poſtulat ille rectè, qui cum fiduciâ petit, qui non cupit quidquam ſaluti repugnans, qui ad Deum poſtulata refert omnia.

6. Verùm in petitione velim à nobis ſpectari potius vnde profectura ſunt,

ſunt, quæ petimus, quàm ipſa beneficia. Illud eſt cor Dei optimi maximi. Ex eo pendeamus potiùs, quàm è noſtris commodis, commiſſo illi rerum omnium exitu, parati peræquè ad ferendam repulſam, atque ad perfruendum optatis, vnâque Dei voluntate, eâque ſanctâ, & æquâ contenti. Notandum tamen hoc loco, quod in communi hominum doctorum ſenſu verſatur, in iis bonis, quæ cadere in petitionem poſſunt, aliqua eſſe digna maximè hoc nomine, vtpote quæ ſint vtilia ſemper, nec noceant vnquam animo, imò eum bonum efficiant. Bona eiuſmodi ſunt gratia diuinæ amicitiæ conciliatrix, fides, Charitas, Chriſtiana modeſtia, obedientia, & aliæ eiuſdem generis virtutes, ipſa Spiritûs ſancti dona. Quæ bona abſolutè peti poſſunt. Alia, quoniam ſunt indifferentia, poſsúntque homini prodeſſe, vel obeſſe pro bono, vel malo vſu, poſtulanda non ſunt, niſi eâ conditione, vt ſaluti noſtræ, atque ad perfectiorem virtutem

progreſſioni conſentanea futura ſint. In horum numero ponuntur diuitiæ, ſanitas; dignitatis gradus; honor, bona corporis, aliqua etiam ex iis, quæ animi ſunt, vt ſcientiæ, gratiæ gratuitæ, atque adeò conſolationes ipſæ deliciæque mentis. Hæc autem ſunt præſertim, quorum cura committenda eſt Deo, qui noſtri ſtudioſiſſimus, vt ea benignè, ac liberaliter, quatenus profutura ſunt, elargitur; ità cùm futura ſunt damno, beneuolè recuſat. Epictetus Philoſophus ſectâ Stoicus, qui vix alia admittebat bona, ſolo rationis lumine inductus, præclarè perſequutus hoc argumentum, hæc habet ſanè pereleganter.

Epict. en- ch. c. 12. *Ne poſtules ea quæ fiunt, ita fieri vt tu vis; ſed vt fiunt, ita velis ea fieri, ſic omnia ſecunda tibi accident.* Deinde,

Arr. l. 2. cap. 16. vt refert Arrianus ipſius diſcipulus. *Homo aude tandem ſublatis ad Deum oculis dicere. Tracta me poſt hac arbitratu tuo: eiuſdem tecum ſum animi: ſuſque déque fero: nihil recuſo, quod tibi videbitur: quò voles ducito: veſte me quâ voles induito. Vis me fungi Magiſtratu? priuatam agere vitam? exulare,*

pauperie

pauperie conflictari? opibus abundare? Præterea. *Appetitum meum obedientem præbui Deo: vult ille me febricitare? volo & ipſe. Vult me aliqua re potiri? volo & ipſe. Non vult? Nolo. Mori me vult? Mori igitur volo.* Infrà verò. *Quid eſt, Dedere ſe Deo? vt quod ille voluerit, & ipſe velim: & quod ille noluerit, nec ipſe velim.* Proh Deum immortalem! quæ, & qualis ſententia in ore Philoſophi Chriſtianorum myſteriis non imbuti! Tanti fuere huius Philoſophi ſcripta, vt quâ vtebatur lucernâ in ſuis lucubrationibus, ea poſt ipſius obitum, licèt ex luto ficta, vænierit drachmarum millibus tribus. Num verendum eſt, ne coram Iudice aſſurgat in complures Chriſtianos, qui tanto rerum caducarum deſiderio tenentur, vt videantur æternis remiſiſſe muntium? Perſpicient illi tùm vanas, & inanes curas ſuas, ſtudiáque ſtulta, & improuida, niſi etiam citiùs, ac ſub deceſſum ex hac vitâ intellecturi ſunt, cùm laboris ſui fructum non capient alium, quàm ſuo damno malè poſitæ operæ ſuæ pudorem ac probrum.

Id. l. 3. c. 26.

Lipſ manud. ad ſtoic. Phil. l. 1 diſſ. 19.

CAPVT XIV.

De gratiarum Actionibus.

1. GRatiarum actiones poſtulat à nobis iure merito ſacra, diuinâque Hoſtia, quæ præbetur, omnium quæ factæ fuerint vnquam, amiciſſimâ, præſtantiſſimáque donatione. Quod certè donum antecellit iis omnibus,quæ comprehendi cogitatione poſſunt, éſtque eiuſmodi, vt, niſi certa diuini teſtimonij authoritas accederet, ſuperaturum etiam eſſet quidquid eſt credibile. Hoc ſingulari munere voluit Deus ſuæ liberalitatis infinitæ datum nobis ſpecimen ſanè perilluſtre;atque poteſtati, amoríque ſuo vt reſponderet,fecit, vt maius eſſet, quàm vt illud mens aſſequi cogitando poſſet. Iam Cœlum, ſydera, terram, corpora, ex quibus gignuntur omnia, ſtirpes, metalla, animantia nobis dederat, naturámque omnem mentis expertem, & quidquid illi tum bonitatis, & pulchritudinis, tum vtilitatis ineſt ad noſtros vſus

D. Th. opuſ. 58. de Sacr. Al. c. 5.

accom-

accommodârat; Iam Cœleſtes ipſos nobiliſſimos, excellentiſſimóſque Principes noſtri cuſtodiæ præfecerat; Iam eò proceſſerat beneficentiæ, vltrà quam non videretur procedi poſſe, vt ſeipſum in redimendi à ſeruitute hominis pactum pretium ſpontè traderet; Quis exiſtimâſſet poſt tot, tantáque beneficia ſupereſſe aliud quidpiam, quod excogitaret ſapientia; donum aliud, quod amore largiretur; genus aliud beneficentiæ, quo pro ſuâ benignitate nos afficeret? Oſtendit tamen re ipſâ reſtare aliud, cùm in hoc Sacramento, quod complecti mens nulla poteſt, ſuam naturam humanam cum diuinitate largitus eſt ad nutriendos animos, efficiendáque quotidie modo quodam, qui fugiat obtutum, in ſingulis hominibus, qui eo cibo vſuri eſſent commodè, ea omnia, quæ in hoc Mundo, cùm in lucem prodiit homo factus palam, & in oculis omnium effecit. O liberalitatem immenſam! ô benignitatem incomprehenſam! Et quid tandem inde conficitur, niſi eam, quò minùs intelligentiâ teneri poteſt, eò

etiam maioris æſtimandam eſſe, quóque magis à ſenſu noſtro diſiuncta eſt, eò digniorem videri grati animi ſignificatione, & quæ moram rei æſtimandæ nobis iniiciat illius præſtantia, ab eâdem poſtulari gratiarum actionem ampliorem:

Exod. 16. 33. 2. Impertito Iſraëlitis in ſolitudine ſacro imbre, Deus factum iuſſit ſempiternæ mandari memoriæ, gratiáſque agi, & haberi perpetuas; Quid ergo huic vero Cœlitum pani æquum eſt à nobis referri? Sponſæ oculi dicuntur in Cantico columbini, quòd columbæ moris ſit quolibet grano in eſcam collecto oculos in cœlum tollere. Par eſſet profectò nihil beneficij in nos à Deo beneficentiſſimo, proficiſci, quin idem, quod illæ auiculæ præſtaremus. At in hoc genere beneficij, quod cæteris antecellit, opus eſſet gratiarum actione, quæ reliquas multò antecederet. Ecquando verò maiori pietatis ſenſu hoc nobis perſoluendum eſt officij, quàm hoc piæ conſalutationis tempore, quo Deum veneramur coram ante Aras? *Cant. 1. 14.*

3. Cùm ſe bonis cumulatum Arcâ ſuas

ſuas in ædes inuectâ animaduertiſſet Obededon, an obmutuit de accepto beneficio? Et ipſi conticebimus in hoc diuinæ gratiæ theſauro, & ampliſſimâ hæreditate, quam Eccleſiæ reliquit Deus ad locupletandos liberos; & vnde, tanquam ex vitæ arbore funduntur eximij fructus, non modò ſingulis menſibus, ſed etiam vnoquoque die, ac vitæ noſtræ horâ qualibet? *1 paral. 15.21*

4. De ſapientiâ ſcitum eſt illud Salomonis, cum eâ obtigiſſe ipſi bona omnia; at aſſerendum nobis iſtud eſt de hoc Sacramento, quo Dei ſapientia continetur, & quo, ſi rectè adhibetur, perficitur virtus omnis. Vt enim valetudo bona, & integra confirmat membra corporis, comparátque ad ſua munera: ita omnibus Eccleſiæ membris vim præcipuam ad præclara facta, quæ ſempiterno præmio donabuntur, affert certus vſus Euchariſtiæ. Ecquis ergo locus gratiis Deo agendis aptior inueniri poteſt, quàm Altare religioſum, in quo præclarum extat beneficentiæ diuinæ monumentum, patétque ipſe gratiæ fons apertus? *Sap. 7.11.*

apertus? Brahcmanes Indorum Philoſophi, cùm in familiaritatem ſuam aliquem reciperent, arctiori illum neceſſitudinis vinculo vt ſibi obſtringerent, potabant illum Tantali poculo adeò mirabili, vt licèt illi quotidie antequam cubitum irent, eo quiſque epoto ſitim reſtinguerent: repleretur tamen de repentè inſtar fontis perennis orâ extremâ tenus, nec quidquam effunderet. Huius crateris meminit D. Hieronymus datâ ad Paulinum epiſtolâ è Philoſtrato Sophiſtâ, cuius certè mihi ſuſpecta eſt admodùm fides. Verum vt vt ſit, quàm maius collatum in nos à Chriſto beneficium extat ſuper Aras, vbi reapte vitæ origo reperitur ſempiterna, & quidquid habet natura pulcherrimum, optimum gratia, gloria pretioſiſſimum? Qui certè fons bonorum omnium, non modò non exareſcit vnquam, ſed ne imminuitur quidem, imò nec effluere intermittet vſque dum viuent in terris homines eo ſatiandi. Quàm igitur illi deuincti ſumus? Quid rependendum gratiæ, cùm ad

Philoſt. in vitâ Apollon. l. 3. cap. 10. & Eraſmus in ſchol. in epiſt. S. Hieron. ad Paulin.

ad Altare abiecti hoc ſalutandi munere perfungemur?

5. Quo vt perfectiùs fungamur, duo maximè nobis neceſſaria ſunt; vnum, vt hoc beneficium commune omnibus ducamus ad nos ſigillatim pertinere; ex quo fiet, vt pro maiore animi ſenſu gratiarum actio futura ſit Deo acceptior. Alterum, vt gratiæ, quam verbis retulerimus, vel habuerimus ipsâ voluntate, voti quidpiam adiungamus, vtpote quibus ſit res cum Deo, qui, vt ait Dauid, ſacrificium poſcit adipatum, & pingue.

6. Quare in referendâ gratiâ animos noſtros ſimul offeremus, profitebimúrque obedientiam, ac conſtantiam in obtemperando legibus, & mandatis. Quòd ſi perparuum iſtud videbitur, & humile, adhibebuntur etiam, quæ ipſi à rebus creatis tribuuntur laudes; adhibebuntur Matris ſanctiſſimæ pia in ipſum officia, atque adeò ipſiuſmet in Patrem, quem in terris honore plurimo affecit, ac tum maximè, cùm rem hanc diuinam illi fecit à Prophetis promiſſam, & ad debitum illi cultum comparatam.

CAPVT

CAPVT XV.

De Communione ſpirituali, quæ eſt actio alia idonea, cui in viſendo Sacramento detur opera.

Orig. hom. 16. in Num. Aug. tr. 25. 226. in Io.

1. Communio ſpiritualis, vt hoc loco accipitur, non eſt perceptio illa fructuum Chriſti patientis, quæ fide fit; nec communicatio cum ipſo Deo per gratiam; nec adiunctio ipſius Corpori myſtico, quod eſt Eccleſia, quem ad ſenſum transfertur hoc verbum à SS. Patribus, cùm Chriſtum abſolutè, & ſine Sacramento ſpectant; Neque etiam hanc vocem accipio pro conſecutione fructuum, qui è ſanctâ, ac verâ Communione capiuntur, vti ſæpe loquuntur Theologi; ſed potiùs hoc nominis ducit ab oppoſitione cum illâ, quæ reipsâ, ac veritate fit, éſtque poſita non in ipsâ corporis Chriſti cum noſtro coniunctione, quæ fit duntaxat cùm illud in Sacramento manditur, ſed in copulatione animorum excitatâ in nobis fame cibi diuini, atque huius

In 4 ſent. diſt. 9. & cum D. Th. 3. p. q. 80. a. 1.

huius edendi vehementi deſiderio ad perfruendum iis donis, quibus afficiuntur ij, qui ad ſacras epulas accedunt. Atque ea ſic accepta hominis ita eſt propria, vt nullius præterea eſſe poſſit, ne Angeli quidem. In naturam rationis expertem, cùm ad actiones mentis minimè comparata ſit, nec fides, nec huiuſce Sacramenti deſiderium, quibus tamen iſta Communio continetur, cadere vllo modo poſſunt. Ab Angelis myſteria omnia ponens in conſpectu animi ſummâ felicitate diffuſa, lux caliginem omnem ita diſcutit, nullus vt ſit fidei relictus locus; mens autem ipſa, quâ præditi ſunt, inſtrumentis ad paſtum, potúmque capeſſendum cùm omnino careat, ab iſtiuſmodi deſiderio, quod re præſtari non poſſet, forétque prorſus inutile, abhorreat neceſſe eſt. Hoc ipſum confirmatur à ſummo Theologiæ Magiſtro his S. Auguſtini verbis. *Panem de altari ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate.*

D Th. 3. p. q. 80 a. 2. Aug. tract. 26. in Ioan.

Vt enim Angeli, inquit Doctor ille ſanctiſſimus, non interſunt ſacris,

quò

quò aliquid de Altari auferant,ita par eſt credere ne mente quidem veſci illos pane, qui illic apponitur.

De Lugo diſp. 13. de Euch. §. 1.

2. Eſt enimuerò actio iſta & eximia; & pervtilis, ſi rectè fiat; euenítque interdum maiorem ex eâ fructum, quàm è Sacramentali percipi. Nam è communi Theologorum ſententiâ, in vſu Sacramenti duobus modis impertitur gratia; vno ſolâ vi, & efficientiâ Sacramenti propter Chriſti authoris promerita, non habitâ ratione præparationis eius, qui accedit; modò tamen, poſtquam ſe introſpexerit in mentem ſuam, culpæ nullius lethiferæ ſibi ſit conſcius; Altero, pro ratione huius apparatûs, qui fide, amore, pio ſenſu, reuerentiâ, attentione, & recto animi propoſito continetur. Quoniam autem iſte apparatus & per ſe ab vſu Sacramenti diſiunctus eſt, quòd gratia, quæ illum conſequitur non modò in vſurpatione Sacramenti, ſed etiam ſine eâ impertiatur (quo à primâ differt) & non ſemper eſt æquabilis, & vniuſmodi: hinc efficitur gratiam, quæ illi reſpondet non eſſe ſemper eamdem, ſed nunc minorem,

In 4 ſent diſt. 1. & S. Th 3 p. q. 62. a. 1.

rem, nunc maiorem, imò vſque eò augeri aliquando, vt illi præſtet, quæ vſurpato Sacramento confertur.

3. Quo poſito compertum eſt, ac planum, ſi quis ad ſacras epulas accederet, non alio apparatu, quàm mentis puræ à graui crimine, & integræ, & ſi primam illarum gratiarum accepturus eſſet, eum tamen non affectum iri alterâ; Contrà verò ſi quis mente ſolùm particeps fieret diuinæ Synaxeos, at cum eximiâ ſui præparatione: etſi primam illam gratiam conſecuturus non eſſet, conſecuturum tamen eſſe alteram, quæ cum poſſet primæ antecellere, fore vt locupletior euaderet, quàm qui ſumpſiſſet ore ſacram eſcam. Accedit eodem, cùm hoc admirabile Sacramentum ſit hoc ipſo reliquis præſtantius, quòd non tantùm gratiam effundat, ſed ipſum gratiæ authorem contineat, digniſſimum illud videri, in quo vſurpando ſingularis tum veneratio, tum attentio adhibenda ſit; Quâ non adhibitâ ſi accederetur è communi quodam, & vulgari vſu, cum incuriâ, aut ex vanæ gloriæ ſtudio, aliquóue alio

alio minùs recto, certè non defore labeculæ, & leuioris culpæ quidpiam. Fac igitur (quod vtinam non eueniret crebrò) Sacramento vti aliquem hoc ſtatu, conſequetur profectò primùm tantùm abfore, vt gratiam promereatur, quæ præparationi reſpondet, vt contrà meriturus ſit, perinde ac cæteris noxis minoribus, pœnæ temporalis aliquid; Deinde, quòd ad gratiam attinet, quæ efficitur à Sacramento, ſi non impeditur omnino, quæ nonnullorum Theologorum eſt opinio, imminuitur illa quidem certè. Quare facilè fiet, vt quiſpiam alius vnicâ communione ſpiritali, at feruenti, plenâ reuerentiæ, & amoris, atque ad finem bonum directâ, plùs multò commereatur, maiorémque, quàm alter, qui ſacro in conuiuio verſatus eſt, fructum ferat. Quod certè ad ſtimulandos, excitandóſque nos ad hanc pietatis exercitationem plurimùm valet.

Marſ. in 4. ſent. diſt. 9. q. 6. a. 4.

Caiet. in D. Th. 3. p. q. 79. a. 1.

4. Valebit etiam hæc animi inductio; hoc communionis genus, quòd occultè fiat, & ſine conſcio, liberum eſſe ab omni afflatu & philodoxiæ, & hypocriſis,

pocriſis, quæ duo Communionem publicam nonnullâ poſſunt aſpergere labeculâ. Hoc deinde ob rationem eamdem habet eximium, quòd defendat eum, qui ipſo vtitur, à voculis, & loquacitate obtrectatorum, qui pietatis officium inanem religionem, & crebram diuinæ Synaxeos celebrationem interpretantur anilem ſuperſtitionem. Quâ obtrectatione dum ſibi aures obtundi vident non pauci imbecillioris animi, nec ferre ſatis poſſunt; illâ vt ſe liberent, malunt carere ſuo damno pane illo vitæ, qui robuſtorum eſt cibus. Habet præterea hoc opportunitatis, quòd vſurpari commodè poſſit non ſemel, atque iterùm hebdomadâ qualibet, ſed quàm libuerit creberrimè, atque adeò, ſi quis operæpretium duxerit, diebus ſingulis ſæpiſſimè. B. Agatha à Cruce, è Tertio S. Dominici Ordine, tanto diuini conuiuij deſiderio tenebatur, illo vt priuari poneret in maximis moleſtiis. Quare quibus diebus ad ſacram Menſam non accedebat, eam vſque eò deficiebant vires, vt, niſi à Magiſtro accepiſſet modum *Ioan. à S. Mariâ l. 1. illuſtrium fœmin. Ord. S. Dom. cap. vltimo.*

commu

communionis ſpiritalis, vix potuiſſet vitam retinere diutius. Verùm retinuit hoc vſa remedio die, noctúque centies, atque ducenties. Huic igitur exercitationi nihil conſtitutum temporis, nihil præſcriptum numeri; Tamen, niſi ſecùs ſuaſerit diuinus inductus efficax, & diligenter probatus, qualem ſanctæ illi Virgini fuiſſe crediderim, moderatus erit illius vſus conſilio meo, ne, ſi crebrior erit, remiſſurus ſit animi feruor, fructúſque periturus: ſatis igitur, ſupérque erit, vti aliquoties, vt illis horis, quas ſtatas eſſe voluimus huic conſalutationi.

CAPVT XVI.

Vſus communionis ſpiritualis huius viſitationis Tempore.

1. QVò vtilior eſt pia iſta, & laudabilis exercitatio: eò etiam maior illi eſt præſtanda opera. Quam in rem putat Doctor Seraphicus adhibēdas eſſe actiones virtutum duarum, fidei, & charitatis Quod ipſe explicat

explicat præclarâ ſententiâ,quæ cùm huic argumento maiorem lucem poſſit afferre,digna videtur,quam hîc exſcribam ipſius verbis.

Dicendum quòd manducatio primò, & propriè in corporalibus inuenitur, & ab illis ad ſpiritualia eſt tranſlata : & ideo ſi velimus accipere rectam manducationem ſpiritualem, neceſſe habemus ad propriam acceptionem vocabuli nos transferre. Notandum ergo, quòd licet multiplex actus ſit in manducatione corporali annexus, & conſequens : iſte tamen duplex eſt,qui eſt de integritate, maſticatio ſcilicet, & incorporatio, vt patet aſpicienti;ſi ergo ratio manducationis congruè tranſfertur ad ſpiritualia, oportet hæc duo in ea reperiri, & ſecundùm ea,in quibus hæc duo conſiſtunt, manducatio ſpiritualis attenditur. Spiritualis ergo maſticatio eſt recogitatio cibi, ſcilicet carnis Chriſti pro nobis expoſitæ in pretium ad redimendum, & in cibum ad reficiendum. Incorporatio verò attenditur, dum recogitans, charitatis amore ei, quod cogitatur, iungitur, & ſic incorporatur : & dum incorpo

S. Bon. in 4. diſt. 2.a.1.q.2.

incorporatur, reficitur, & magis aſſimilatur. Ad hoc ergo quòd quis ſpiritualiter manducet, requiritur recogitatio fidei,& affectio Charitatis. In primo enim eſt maſticatio, in ſecundo incorporatio: & ex his duobus integratur ſpiritualis manducatio; Hæc eſt ſancti Doctoris ſententia,quã Concilij Tridentini confirmat authoritas,cùm aſſerit Communionem ſpiritalem *voto ac deſiderio fieri*; ſubiicit enim mentem explicaturus planiùs. *Concedo ergo quòd non ſufficit qualiſcumque fides, ſed neceſſariò fides operans per dilectionem*, hoc eſt per actiones amoris ardentiſſimi.

Bernard. ſerm. 31. in Cant. 2. Huic deſiderio tantùm à D. Bernardo tribuitur ad coniungendum animum cum Deo, vt aſſeuerare non dubitet de hac coniunctione certi aliquid haberi poſſe, cùm iniectâ ipſius cupiditate inflammari ſe totam mens ſenſerit. Atque id cauſæ fuit, cur S. Auguſtinus inquirens Dei colendi rationem optimam, huius deſiderium ab eo præ cæteris poſtulet. *Auguſt. Med. c. 1.* *Domine Deus meus da cordi meo te deſiderare, deſiderando quærere, quærendo inuenire,*

inuenire, inueniendo amare. Hæc ſunt deſideria pauperum, quorum votis ſemper Dei aures patent. Quod vt certius redderetur in re quam modò tractamus, vſque adeò in nonnullos ſeſe benignum, ac liberalem ille præbuit, vt illis gratificandi causâ, quod animo exoptabant, id re, atque exitu præſtiterit. Vir ille eximiè Sanctus, cuius vſurpaui iam verba, D. inquam, Bonauentura, cùm adhuc iuuenis, licèt ſacrarum epularum cupidus, abſtinuiſſet tamen aliquandiu vano metu ductus, ne pro vitâ mortem ſibi, ac ſupplicium cibo ſumpto accerſiturus eſſet: dum ſacris intereſſet, mirificè recreatus à Deo fuit miſſo Angelo, qui acceptam de altari diuinæ hoſtiæ particulam porrexit in os, eâque illum refecit. Qui B. Laurentij Iuſtiniani res geſtas conſcripſere, quidpiam perhibent ſimile, aut etiam admirabilius. Virgo religione obſtricta Deo, Venetiis vitam agebat ſanctam in clauſtro; hoc nomine ſancto Patriarchæ probè nota, qui cum de rebus animo reconditis ſermonem identidem conferebat.

Galatinus in eius vitâ c. 5.

Bern. Iuſtin. in eius vitâ c. 8.

Exarſit illa aliquando die S. Sacramenti feſto, ac ſolenni, datâ per celebritatem occaſione, diuinæ Synaxeos cupiditate extraordinariâ: tamen, cùm Sacerdos deeſſet neſcio quo caſu, non licuit optatis perfrui. Quo adducta eſt ad rogandum Patrem optimum, vt, quoniam ſua ipſam ſpes fruſtraretur die tam celebri, meminiſſet ipſius rem diuinam dum faceret. Recepit interim ſeſe ad cellam, ac ſponſo mentem aperiens, animíque ſenſum, optatam Euchariſtiæ ſumptionem compenſare alterâ iſta communione conabatur: Iuit ſanctus Antiſtes confectum ſacra, in quibus poſteaquam extuliſſet Hoſtiam propalam, abſtractus eſt diuino inſtinctu, & mirabili quadam vi deportatus in cellam virginis, cœleſtem ei cibum præbuit, nec tamen nihilominùs à populi conſpectu viſum eſt abductum corpus; ſic olim S. Nicolaus dedit ſe in conſpectum iis, qui ſalutem ab eo deprecati fuerant in naui, ſolum non vertens mutatione loci: ſic S. Ambroſius Mediolano non diſcedens venit ad fu-

nus

nus S. Martini in Galliam ad illius exequias cohoneſtandas: ſic S. Seuerinus Rauennæ Præſul à ſuis minimè diſiunctus iuſta, quæ S. Germano Mutinæ fiebant, proſecutus eſt. Vt ad ſe rediit Iuſtinianus ſacrum perfecit, rémque poſteà obtexit, ac diſſimulauit; at puella, quæ captam inde lætitiã occulere non poterat, Sacerdoti probo à quo viſebatur interdum, retulit, Hic deinde S. Præſuli ſignificauit, qui iuſſit rem ſilentio dum viueret, obtegi; Morem illi quidem geſſit Sacerdos, ſed ſimul ac diem extremum ille obiit, palam enarrauit; Et verò è Dei conſilio ad ſolatium eorum, qui ſanctis deſideriis fide, ac charitate inflammatis dant huic exercitationi operam. Quod ipſi etiam pro virili parte præſtabimus, & magno certè fructu, ſi eodem, quo ſancti, inductu, viri apparatu, quem præſcribunt, in hiſce conſalutationibus hæc capita tria, quibus explicatiùs continetur quidquid eſt huius officii, religiosè ſeruabimus.

3. Primum eſt, vt demiſſi humiliter ad S. Sacramentum, illudque venerati

prece aliquâ concitatioris animi, cuiuſmodi eſt iſta peruulgata vſu communi in Eccleſiâ, *Aue ſalus Mundi, &c.* introſpiciamus nos in mentem noſtram, vt ſi quid obiiciatur quod Deo fuerit offenſioni, veniam ab eo petamus, ſtatuamúſque ex illius amore, & ſtudio daturos nos operam meliori vitæ, atque ſic affecti, quàm poterimus, ardentiſſimo deſiderio inuitemus eum, vt ſe noſtræ menti præſentem adhibeat, ac veniat in poſſeſſionem noſtri. Alterum, vt famem ſuauiſſimarum epularum excitemus, & Chriſtum religiosâ fide reueriti præſentem ſuper Aras, ſperemus certò, cùm è Sacramento non pendeat vis omnis impertiendæ gratiæ, fore vt fiat deſiderio noſtrò ſatis, licet reipsâ ad ſacram Synaxim non acceſſerimus; ſub hæc tandem magnâ animi demiſſione erumpamus in hæc verba, quæ vſurpantur in Synaxi, *Domine non ſum dignus. &c.*

4. Tertium, vt cum ſenſu quodam amoris ore veluti cordis aperto rogemus ſuauiſſimum, dulciſſimúmque Dominum, vti ſpectatâ, non digni-

tate

tate noſtrâ, quæ nulla eſt, ſed pietate ſuâ, & miſericordiâ, perinde ſe per gratiam nobis præbeat, ac per Corpus, & Sanguinem in diuino epulo. Tanta eſt ipſius benignitas, támque parata ad benè promerendum de hominibus, vt ſpes magna ſit ex hac exercitatione fructum optatum nos eſſe percepturos. Id etiam poterit fieri commodè trium animi virtutum applicatione, ſi ſuum quæque munus conferat in hoc Myſterium, mens credat, & miretur, voluntas amet, ac deſideret, memoria mortem Redemptoris, cruciatúſque repetat, quemadmodum ab eo præceptum eſt, cùm hoc Sacramentum inſtituit; Et verò ad illud renouandum gratâ recordatione, cùm ad ſacram Menſam accedimus, nos ipſe S. Paulus hortatur.

5. Fuere quibus cultu iſto magna ad virtutem ac præſertim ad iucundam cum Deo conſuetudinem facta ſit progreſſio; vt enim à Sole purgantur, illuminantur, ac matureſcunt terræ fructus, ita Dei præſentiâ hoc ſtudio perquiſitâ expurgantur animi, illu-

ſtrantur, perficiuntúrque, modò eâ rectè vtantur, ad quemlibet vitæ à corpore abſtractioris ſtatum; ac illum maximè, qui poſitus eſt in coniunctione cum Deo, quam amor ipſe perficit.

6. Hîc animi ſenſus ſimilis eſt igni, qui in cœleſti loco quiete perfruens non eget pabulo quidem, at eo certè in terris eget, quo ſi careat, interit ſenſim, ac tandem omnino extinguitur; Non abſimilis, inquam, eſt amor, quo Deum in hac vitâ proſequimur; opus eſt illi alimento, vt ſe tueatur. In cœlo, qui ipſius locus eſt, in quo nihil habet contrarium, perfectam quietem adipiſcitur poſſeſſione Dei, qui ſe dat in conſpectum; hîc verò quaſi extrà ſuum locum poſitus multis rebus contrariis vndique circumſeſſus eſt, peritque, ni ſuppetat lignum, quo alatur. Quod alimentum ſunt ipſa Dei beneficia, quæ quò maiora ſunt, expenduntúrque attentius, eò etiam ſunt ad conſeruandum amorem aptiora. Iam verò conſtat ex iis, quæ de communione illâ, quæ

ſolâ

ſolâ mente fit, tradita ſunt abs me, quantùm iſta valeat ad hunc ignem accendendum: flammâ ardentiore conceptâ fides certiores nos reddit de ipſo dono, quod ipſum eſt beneficium, in quo vno Beatorum Cœlitum amor conquieſcit; ſpes cupiditatem illius iniicit; amor nos cum ſummo illo bono coniungit, eóque efficaciùs, quò magis colligimus nos ipſi, vt à rebus creatis abſtracti illud vnum toto animo complectamur. Quod efficitur interdum in nonnullis præparatis ſanctiùs tantâ vi inflammati animi, vt corpus ſenſuum munere careat; ex quo fit & animum mirabiliter in Deum abſtrahi captum pulchritudinis infinitæ admiratione. Atque tùm hominis mens ad gradum celſiſſimum euecta eſt, ad quem illam efferre poſſit in his inferioribus Mundi partibus ſtatus vitæ cum Deo coniunctioris per ſeceſſum, quietem, ſilentium, aſcenſum, quo ſublimè fertur animus à rebus creatis longiſſimè diſiunctus. Næ

Beata quies , quâ requieſcat in ſummo bono ! Beatus ſeceſſus quo in cœlitum concilio admittatur ! Beatum ſilentium , quo Deus ipſe cæteris tacentibus loquatur ! Aſcenſus beatiſſimus , quo mens obligato corpore ad Dei complexum auolet ! Maximè optanda communio iſta ſpiritalis , ex cuius optimo vſu tot , tantíque fructus percipi poſſint !

7. Quibus adducti abhorrebimus ab hæreticorum errore , qui adeò grauiter in hac parte offendunt , incurrúntque , vt pro certo teneant , cùm iſti communioni , quæ fide fit , panis , & vini vſus adiungitur in ſignum corporis , & ſanguinis Chriſti , non ſolùm , quos attuli fructus , inde capi , ſed verè , ac reapſe naturam corporis , & ſanguinis pretioſi nobis impertiri. Equidem miratus ſum ſæpenumerò inuentos fuiſſe in Chriſtianis hominibus aliquos ità promptos ad errorem ſuſcipiendum , vt impelli potuerint in tam apertam fraudem

fraudem, támque manifeſtè à veritate alienam opinionem. His continetur iſta communio, quam Cœnam appellant, veſci, bibere, credere, veſci pane, bibere vinum, quæ corporis, & ſanguinis Chriſti ſigna ſint, credere ſic cum illo nos coniungi, atque nobiſcum naturam ipſius communicari. In quibus, ecquid porrò eſt tam efficax, vt rem adeò mirabilem efficiat? Non profectò *Veſci* iſtud, non iſtud bibere; cùm enim vtrumque ſit omnimo corporis actio, nihil, quod ſupra vires naturæ ſit, poteſt attingere; Neque etiam iſtud *Credere*, quod quoniam eſt ab intelligentiâ, mentéque noſtrâ, naturam nullo modo efficit, & quià à fidei habitu oritur, rem, in quam fertur, iam in medio poſitam ſpectat quidem: at non ponit. Nihil igitur habet iſta communio, ex quo percipi poſſit, quod ſibi adpromittunt hæretici. Verùm afferunt iſti pro cauſâ, non tribui à ſe hunc effectum efficientiæ harum actionum abſolutè; ſed occultæ vi Spiritûs ſancti, à quo res illa mira-

biliter efficitur, cùm in iſtâ communione manditur, bibitur, creditur. Itane verò! at conſequeretur Corpus Chriſti non niſi cùm vſurpatur Sacramentum, in eo eſſe, ſecùs minimè; quod tamen conuincitur manifeſtò his verbis: *Accipite, & comedite, hoc eſt Corpus meum.* Vera enim tum fuere cùm illa Chriſtus protulit; vera etiam ante quam Apoſtoli vſi fuiſſent hoc ſacro cibo, aut ore ſumpſiſſent. Adde, ſi iſtud daretur, ex eo effectum iri corpus Chriſti ſimul ſore re ac naturâ ipſâ in vniuerſis, ac ſingulis, qui communionem iſtam ritè vſurparent, quantocumque locorum interuallo inter ſe diſiunctis, ac demum eodem tempore in locis compluribus; Quod tamen fateri nolunt huius falſæ opinionis authores, qui idcircò ſanctum illud corpus ità cœlo affixum, volunt, vt ne diuinâ quidem vi alibi ſimul conſtitui poſſe putent. Cùm igitur iſtud communionis genus ex hæreticorum mente conceptum, atque illorum ritu adductum in conſuetudinem, tam multa & abſurda,

ſurda,

ſurda, & inter ſe pugnantia inferat, cùm rationi ſit contrarium, pugnet cum ſacris litteris, euertatur funditus ſuæ ſectæ decretis: Num deplorandi ſunt ij, qui iſtud conſtituunt Religionis caput, ſeque huius erroris tuendi gratiâ ſummo ſalutis detrimento à cœtu ſanctorum nefariè diſiungunt?

CAPVT XVII.

Imitatio nonnullarum viſitationum, quarum meminit hiſtoria Euangelica, ad illarum exemplar noſtræ vt informentur.

1. QVò animorum faſtidio, quod actionum earumdem crebritas afferre ſolet, meliùs conſulatur: eſt operæ pretium illas hoc loco varietate multiplici diſtinguere. Et verò illarum viſitationum, quæ in Euangeliorum libro habentur imitatio videtur ad hoc conferre poſſe plurimùm, ſi quo animo quæque facta ſit, referatur ad propoſitum.

2. Prima, quæ occurrit, eſt ipſorum

Paſtorum in oppido Bethleem. Hæc ab illis inſtituta fuit, quò certiores fierent de nuntio allato ab Angelo Meſſiam natum eſſe; atque in huiuſce rei ſignum compertum iri infantem panniculis inuolutum, ac iacentem in præſepi. Quo comperto, ac præterea honoris officio perſoluto, è ſtabulo diſceſſere cum laude, & plauſu. Bethleem ſonat domum panis; Cùm igitur ad ſacram adimus Ædem, fingere animo oportet proficiſci nos in vrbem Bethleem. Illic enim Chriſtianis diuini verbi panis præbetur: Illic præſtò eſt cibus Euchariſticus, quem aſſeruatum in ciborio obtegit velum album eorum, quæ pani accidunt, vt Ieſum cubantem in præſepio infantiles faſciæ. Atque vt tum datus eſt in ſui ipſius ſignum: ita nunc, cùm ſigna ipſa non ſunt rei ſignificatæ inania, quemadmodum olim Agnus ille Paſchalis, & Panes Propoſitionis vigente Moyſis lege: ſed naturæ, quam continent pleniſſima; non ſecus, ac
Exod. 16. 33. manna datum in ſolitudine, quod

ſer-

ſeruatum in arcâ ſui ipſius ſignum fuit. Ex quo amplam occaſionem captabimus lætandi cum Paſtoribus, laudandi Dei, eique benedicendi, quòd eum in ſacris Ædibus reipſâ habeamus, quem illi & conſpexere, & venerati ſunt in præſepio. Quin etiam id cum lætitiæ ſenſu eò maiori fiet à nobis, quò meliùs perſpectum fuerit datum inibi eſſe, non modo, vt Emmanuelem, quâ voce ſignificatur Deus qui nobiſcum eſt, ſed pluſquàm Emmanuelem. Non enim ſolùm nobiſcum verſatur, ſed etiam præſto eſt, vt in nobis, atque intrà nos commoretur, cùm illum in Synaxi recipimus *Nos ſecum* (ait S. Chryſoſtomus) *in vnam vt ita dicam, maſſam reducit; neque id fide ſolùm, ſed reipſa nos corpus ſuum effecit.* Cyrillus verò Alexandrinus. *Non negamus rectâ nos fide, charitatéque ſincera Chriſto ſpiritaliter coniungi. Sed nullam nobis coniunctionis rationem ſecundùm carnem cum illo eſſe; id profectò pernegamus, idque à diuinis ſcripturis omnino alienum dicimus.*

Chryſoſt. hom 60. ad pop.

S. Cyr. Alex. l. 10. in Ioan c.13.

3. *Paſto-*

Beda de locis ſanctis c. 8. 3. Paſtores, Bedâ venerabili teſte, viſerunt Bethleemum numero tres, *Luc. 2. 16.* eóque ſe contulere ocyus, vt perhibet Sanctus Lucas. Nimirum illos à pietatis, quâ ſe teneri ſentiebant, reddendo officio, nec intempeſta nox, nec cura gregis retardare vllo modo potuit. Viſitationis noſtræ munus, licèt, nemine comitante, obeamus: non deerit tamen iſte numerus, cùm ſemper adiungenda ſit *Adoratio*, quæ nequit eſſe perfecta ſine actionibus tribus, Vnâ intelligentiæ, quâ Redemptorem ſummum Dominum eſſe ducimus; Alterâ voluntatis, quâ excellentiæ ipſius infinitæ ex amore, & iucundâ animi propenſione ſpontè ſubiicimur; Tertiâ corporis, quo huius præclaræ opinionis teſtimonia redduntur extrinſecùs, iiſque ſignis ſummo Regi debitum honoris officium perſoluitur. Hæ autem actiones eò magis erunt perfectæ numeris ſuis, ac præmio digniores, quò liberior erit, ac ſolutior animus tum ob obſcuritatem, quæ fidei adiungitur, tum ob negotio-

negotiorum moleſtiorum curas, ac ſolicitudines abiectas.

4. Coniecturâ ducor, vt putem à beatis illis paſtoribus inflatu quodam diuino ſuam illam venerationem aliquo munuſculo pro ipſorum tenuitate cumulatam fuiſſe, ne ad Mundi Seruatorem inanes acceſſiſſe viderentur. Dei autem munificentiſſimi moris eſt, quod ipſi præſtatur officij, id longè ampliori remunerare beneficio. *Omnipotens*, inquit Iob, *dabit pro terrâ ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos.* *Deuter. 16. 16.* *Iob. 22. 24.*

Iſaacum filium nudum hominem præbuit illi Abrahamus: Abrahamo filium ſuum, Deum ſimul, & hominem dedit Deus. Dauidi venit in mentem domum illi extruere: Idcircò Regiâ Sede, ac Regno ſtirpem illius donauit. Mulier illa Samaritana dediſſet illi lubens aquæ perparum; effudit ille aquam gratiæ. Maneat igitur Paſtorum munuſcula fuiſſe compenſata ampliſſimè. *Qui Prophetarum mentem illuminauit*, inquit S. Cyprianus, *is ſuâ luce paſtorum animos compleuit; & quorum oculi vſque eò fortuna-* *Cypr. de nat. Domi.*

Beda de locis ſanctis c. 8. 3. Paſtores, Bedâ venerabili teſte, viſerunt Bethleemum numero tres, *Luc. 2. 16.* eóque ſe contulere ocyus, vt perhibet Sanctus Lucas. Nimirum illos à pietatis, quâ ſe teneri ſentiebant, reddendo officio, nec intempeſta nox, nec cura gregis retardare vllo modo potuit. Viſitationis noſtræ munus, licèt, nemine comitante, obeamus: non deerit tamen iſte numerus, cùm ſemper adiungenda ſit *Adoratio*, quæ nequit eſſe perfecta ſine actionibus tribus, Vnâ intelligentiæ, quâ Redemptorem ſummum Dominum eſſe ducimus; Alterâ voluntatis, quâ excellentiæ ipſius infinitæ ex amore, & iucundâ animi propenſione ſpontè ſubiicimur; Tertiâ corporis, quo huius præclaræ opinionis teſtimonia redduntur extrinſecùs, iiſque ſignis ſummo Regi debitum honoris officium perſoluitur. Hæ autem actiones eò magis erunt perfectæ numeris ſuis, ac præmio digniores, quò liberior erit, ac ſolutior animus tum ob obſcuritatem, quæ fidei adiungitur, tum ob

negotio-

negotiorum moleſtiorum curas, ac ſolicitudines abiectas.

4. Coniecturâ ducor, vt putem à beatis illis paſtoribus inflatu quodam diuino ſuam illam venerationem aliquo munuſculo pro ipſorum tenuitate cumulatam fuiſſe, ne ad Mundi Seruatorem inanes acceſſiſſe viderentur. Dei autem munificentiſſimi moris eſt, quod ipſi præſtatur officij, id longè ampliori remunerare beneficio. *Omnipotens*, inquit Iob, *dabit pro terrâ ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos.* *Deuter. 16. 16.* *Iob. 22. 24.*

Iſaacum filium nudum hominem præbuit illi Abrahamus: Abrahamo filium ſuum, Deum ſimul, & hominem dedit Deus. Dauidi venit in mentem domum illi extruere: Idcircò Regiâ Sede, ac Regno ſtirpem illius donauit. Mulier illa Samaritana dediſſet illi lubens aquæ perparum; effudit ille aquam gratiæ. Maneat igitur Paſtorum munuſcula fuiſſe compenſata ampliſſimè. *Qui Prophetarum mentem illuminauit*, inquit S. Cyprianus, *is ſuâ luce paſtorum animos compleuit; & quorum oculi vſque eò fortuna-* *Cypr. de nat. Dom.*

ti-

ti fuerunt, Redemptoris carnem vt viderint, cum eorumdem animis ita feliciter actum eſt, vt Deum eſſe, ac Patris Æterni verbum intellexerint. Quid ni ergo à beneficentiſſimo Rege officiorum remunerationem maximam ſperemus, ſi vt illi ad præſepe, ita nos ad Aras noſtra munera præbeamus, ſique præſertim acceſſerimus eodem, quo illi animo, demiſſo, vigilanti, ac parato ad excipiendum ſine diffidentiâ, & ſine tarditate, ac procraſtinatione exequendum id omne, quod Cœlitum afflatu mandat præpotens Deus?

5. At quàm fortunati eſſemus, ſi præterea quod illis contigit, in his viſitationibus, B. Virginem, Ioſephúmque ſanctum offenderemus, ſi ad illas, inquam, ritè obeundas commodarent ipſi nobis opem ſuam! hoc ab illis petendum eſt eâ ſpe fore vt petitioni noſtræ concedant

CAPVT

CAPVT XVIII.

Imitatio altera ſimilium viſitationum.

1. HOc præclaro exemplo in promptu eſt aliarum imitatio; ſic cum Magis accidere iuuabit ad Regem, non Iudæorum modò, ſed vniuerſi Orbis, eúmque venerari in ſacrâ Hoſtiâ, vt illi in ſinu Virginis coluere, largâ noſtrarum opum, ac liberalis voluntatis effuſione cum thure fidei, & charitatis pretioſiſſimæ auro, pœnitentis animi myrrham acerbam præbendo. *Quid excuſabimus* (ait S. Chryſoſt.) *aut quam veniam obtinebimus, ſi quum ipſe noſtra cauſa deſcẽderit è cœlis, nos ad illum vel, ex ædibus ire grauemur? quum alienigenæ, barbarique Magi ex Perſide occurrãt, vt illum videant in præſepi iacentem, tu verò, qui Chriſtianus es, ne breue quidem ſpatium emetiri ſuſtineas; vt hoc felici ſpectaculo perfruaris? Nam ſi cum fide acceſſerimus, proculdubio videbimus illum in præſepi iacentem. Si quidem hæc Menſa vicem*

Matth 2. 1.

Chryſoſt. ad orat. de S. Philog.

vicem explet præſepis. Nam & hic ponitur Corpus Dominicum, non quidem faſciis inuolutum ſicut tunc, ſed vndiquaque Spiritu ſancto conueſtitum. Qui myſteriis initiati ſunt, intelligunt quæ dicuntur. Et paulo poſt. *Accede igitur tu quoque munera offerens, non qualia deferebant illi, ſed multo religioſiora. Obtulerunt illi aurum, offer tu temperantiam ac virtutem. Obtulerunt illi thus, offer tu puras preces quæ ſunt odoramenta ſpiritualia. Obtulerunt illi myrrham, offer tu humilitatem, & cor ſubmiſſum cum eleemoſyna. Quod ſi hiſce cum muneribus acceſſeris, multa cum fiducia particeps eris ſacræ Menſæ.*

2. Sic propoſitâ ante oculos Magdalenâ, ad Dominum ſuauiſſimum, *Luc. 7. 37.* vt illa, adibimus, colemus non menſæ accumbentem ad prandium, ſed conſidentem ſuper Altari ad noſtros animos alendos; deſpiciemus maleuolos obtrectatores, demittemus nos ad aliquem ſacræ Ædis angulum, vt illa ponè ipſum abiecta ad pedes, ducemus indignos, qui ſtemus in conſpectu; crimina fletu multo expurgabimus; vt illa ſuos capillos ad detergendos

gendos pedes, ità nos occaſiones, & inſtrumenta noxarum ad ſacrificium præbebimus: denique fracto cordis alabaſtro pietatis ardentiſſimæ vnguentum, odoréſque proferemus.

3. Hæmorrhoiſſam pariter imitabimur ad eximium Medicum properantem, vt veſtis extremæ contactu ſanetur. Quæ enim pani accidunt, ea in ſanctâ Eucharistiâ, perinde ſunt, ac ipſæ fimbriæ, atque adeò veſtis ipſa corporis Redemptoris quod eâ continetur. Sanguis autem in ſacris litteris peccati ſymbolum eſt, & nota. Huius igitur Mulieris profluuio laborantis affectionē ad mores noſtros imitando traducemus, ſi quâ illa fide & fiduciâ appropinquabimus fimbriis illis myſticis, non illas quidem attrectaturi, ſed, quem illæ obtegunt, veneraturi, ac perennem culparum fluxum ab eo deprecaturi his verbis. *Iam anni ſunt benè multi, amantiſſime Domine, cùm teneor morbo mortifero, quo conſumitur gratiæ vis omnis; quo fit, vt dolore confectus contabeſcam, vitámque ducam miſerrimam conſcientiâ peccatorum oppreſſus. Iam iam redigendus ſum ad anguſtias,*

Math. 9. 20.

Greg. 10. Mor. c. 13.

ni-

Luc. 18. 38. *niſers opem, & auxilium, ſiſtáſque ſanguinis fluxum ex quo laboro, tui ſanguinis mirificâ vi.* &c.

4. Vſurpari etiã poteſt iſtud cæci; Ieſu fili Dauid, miſerere mei. *Heu, Deus meus, captus ſum oculis mentis, amiſi lumina. Intelligebam aliàs & humilitatem meam, & tuam ipſius præſtantiam agnoſcebã, & ſalutis pericula, & viam præcipitem, & officij tibi præſtandi neceſſitatem: Nunc verò in his omnibus cæcus ſum, &, quod peius eſt, nemo mihi manum porrigit, imò ſunt, qui me ſupplicum voce prohibeant, imperéntque ſilentium. Diuitiæ quidem præ ſe ferunt ſubſidij quidpiam: at iis tam parum ineſt firmitatis, vt iam à me deſerto ad alios incipiant auolare: honores aduoco, qui mihi opitulentur, adſunt illi quidẽ, ſed vix eos deprehendi, cùm effugere ſentio, vt inanem ventum, fumúmue, adeò parum firma, ac ſtabilis eſt horum natura. Neque plus conſtantiæ habent voluptates; vt enim, his perfruendi cupiditas animum meum diſtraxit, diſcerpſítque violentiâ furente, & effrænata, comperio in iis perfruendis nihil eſſe ſtabile, ſed inſulſa omnia. Quod enim iucundius obiiciunt, id putidiſſimum eſt intus, meque ita inficit*

extrinſe

extrinſecùs, vel vſurpatum leui attrectatione, vt nemo ſit probus, cui non ſim offenſioni. Denique eò deuenio ſenſim, vt niſi te miſereat cæcitatis meæ, addicendus ſim infelix, vti Samſon alter, tanquã molæ cuidam ſtudio inutili verſans me circum vitia, nec virtute quidquam proficiens. Heus Domine, qui huic cæco reſtituiſti viſum, & Celidonio illi, qui cæcus in lucem prodiit, fer opem, &, quæ tua eſt ſingularis benignitas cùm huc acceſſeris Orbem illuſtraturus fac, vt in his anguſtiis ſentiam te mihi eſſe auxilio.

Sic vocatum affirmat Salmer. T. 6. tract. 39.

5. Longior eſſem in his exemplis producendis, ac noua proferrem, niſi cuiúſque pietati id concedendum eſſe ducerem; Cum certum ſit experientiâ homines maximam partem nolle ritu puerorum ſecum agi, & tantùm abeſſe, vt manſus nimiùm, confectúſque cibus appetitum exacuat, vt obtundat magis, faſtidiúmque afferat.

CAPVT

CAPVT XIX.

Aliud genus actionum peculiarium, quæ ad idem inſtitutum pertinent pro noſtrâ ad Deum ratione.

1. ACtionum maximè vtilium modus alius ducitur à variis ad Deum rationibus, quarum quælibet dat occaſionem ciendis motibus diuerſis pro animi ardore, & ſancto afflatu, ac impulſu. Ille nôſtri eſt Opifex, nos diuinum opus. Hoc nomine adibimus ad illum his verbis. *Ecquis es, Domine, Ecquid hominis ego ſum? Tu Deus meus, meique principium, à quo & naturam, & vitam motúmque accepi. Tu bonorum omnium fons perennis; Ego verò tuum opus, qui nihil admodùm eſſem, ni me tua bonitas, viſque diuina effeciſſet. Nam vbinam gentium eram ante annos centum, & mille; atque adeò ante infinitum tempus? Poteram eſſe, at non eram; vermiculúſque viliſſimus, qui nunc ſuper terram ſerpit, quidpiam præſtantius eſt, quam ego tùm: Eſt enim in rebus*

rebus aliquid: Ego autem tunc temporis omnino nihil. E nichilo, in quo ſunt erúntque æterno tempore homines infiniti, quibus peræquè, ac mihi naſcendi ius eſſet, emerſi efficientiâ tua, ac in numerum rerum nobiliſſimarum cooptatus video cæteras ad vſus meos comparatas. Corpus, quo me inſtruxiſti eſt eiuſmodi, vt vel membrorum vnum, oculus ipſe vniuerſis Mundi opibus multò præſtet; quo in gradu dignitatis collocatum voluiſti animum meum cùm effeciſti, is me Cœlitibus pari conditione exæquat, facitque tui expreſſam effigiem. Quid ergo, ô præpotens principium mei, tibi non debeo pro tanto beneficio in quo vno tam multa continentur? quibus carui, quandiu in nihilo delitui quodammodo ſubmerſus. Accido nunc tibi ad Aras, gratias acturus maximâ animi demiſſione, perſoluturúſque honoris debiti officium, quàm poſſum, modeſtiſſimè. Doleo equidem, ô Domine, eò me ingrati animi proceſſiſſe, vt tanta beneficia in inſtrumenta culpæ conuerterim, me profectò pœnitet. &c.

2. Intuens vt Redemptorem, his illum alloquor. *Tametſi adeo ingratus in te eſſem, ô Domine, tuâ vt gratiâ ſolutum*

tum

tum me, & in libertatem vindicatum obliuiſcerer: Hæc ſacra Hoſtia, quæ tanti beneficij monumentum eſt, illius memoriã renouaret. Heu! antequam ad nos venires, quis mentes noſtras tenebat error, quæ ignorantia veri? quæ in voluntate inſidebat malitia? Honores tibi debiti Diis falſis tribuebantur impiè, Cacodæmoni erigebantur aræ, fiebant ſacrificia, thus incēdebatur; vitium longè, latéque regnabat. Veniſti nihilominus. At quo habitu, liberator humaniſſime? Pauper, humilis, inglorius, maleuolentiâ improborum exagitatus, laboribus aſſiduis exercitus, rebus duris ſine vllâ intermiſſione afflictus, eſuriens, ſudans, lachrymans ſanguinem profundens, mortem denique obiens, in crucem inter latrones actus. Cùm is eſſet Mundi ſtatus, nuntium de tuo ortu afferentibus Angelis, Ecquis in tantis ſceleribus, & flagitiis non exiſtimaſſet venire te, tuâ vt manu, vt olim Sodoma & Gomorrha, incendio deflagraret? Tamen tunc aures perſonuere nuntio pacis, & cùm metuendum eſſet ne à vindice Numine flammæ in homines, ardénſque ſulphur immitterentur: Tua miſericordia exaltata ſuper Iudicium illos gratiâ cumulabat è conſilio amoris tui,

cui

cui præſertim ſalutem noſtram debemus referre acceptam. Pater tuus infinitè iuſtus læſus ab homine infinitè reo ſtatuerat pro culpâ infinitâ ſibi ſatis fieri compenſatione infinitâ, quæ certè liberatorem poſtulabat infinitum. Cùm autem non eſſemus ſoluendo, quippe quibus nihil ſit niſi finitum, adfuit nobis in hac ſummâ rerum egeſtate auxilio amor iſte ſuauiſſimus, cuius inductu hominem ipſe induiſti, fuitque nobis in te, & per te præſtò liberator, qualem volebat Pater; infinitus ſimul, & finitus, Deus verus, & verus homo; Homo, vt ſolueret, Deus, vt are liberaret; homo, vt famularetur, Deus, vt in libertatem vindicaret; homo, vt pateretur, Deus, vt vinceret; homo, vt moreretur, Deus, vt de morte triumphum reportaret, atque adeò noſtri causâ. Peccauerat, vt nos, Angelus, vterque noſtrûm incurrit in odium, & offenſionem Patris; verùm rediimus ipſi in gratiam, tuo promerito, amantiſſime liberator; repulſus verò Angelus; per te nobis data eſt venia, huic non dabitur vnquã: per te nobis patefactus eſt in cœlũ aditus; hic detruſus ad inferos nullâ ſpe melioris ſtatûs, nec reditûs in gratiã: ex quo intelli-

go gratiam verè gratiam eſſe conceſſam gratis, non iure debitam peccatoribus, dari ex amore: ex Iuſtitiâ recuſari, quòd eam recuſas Angelo, quia iure id facis, non eſſe iniquitatis, Quòd nobis eam impertis ſtudio noſtri, id eſſe miſericordia. Pro hac gratiâ, miſericordiâ, amore, laboribus, vulneribus, morte, pro iis omnibus, quæ & ipſe feciſti, & perpeſſus es pro noſtrâ ſalute, ad pedes tuos abiectus benedico tibi, te laudo, tibi gratias ago, profiteórque, &c.

3. Vt Patrem optimum his affari iuuabit. *Proh! quàm ſuauis eſt tua in me munificentia, Pater ſuauiſſime, & clementiſſime! Non modò me de luto fictum animaſti naturâ, vt corporibus, vitâ, vt plantis, vt animantibus ſenſu impertitis: ſed etiam præter intelligentiam, quæ mihi cum cœlitibus communis eſt, donaſti me imagine, ac ſimilitudine tui, &, quì beneficij cumulus eſt, dignitate filij in ſacro Baptiſmate; verùm heu me imprudentem, & inſanum! obſcuraui præclaram illã, eximiámque ſpeciem, atque culpis meis non ſemel duntaxat, ſed ſæpius commiſſis tecum inimicitias ſuſcepi. Ecquid pœnæ non merui tanto ſcelere, Pater clementiſſime? Abſalonem filium ſuum ob*

ob admiſſum crimen conſpectu ſuo prohibuit David annos tres. Tu verò mihi etiam nunc veniam offers, adeo vt mea vnius culpa ſit, ſi non recupero ius adoptionis, quo mihi liceat iterum compellare te Patrem animo fidenti. Quin etiam quò magis amor in me tuus mihi ſit exploratus, inuitas amicè ad congreſſum tuum. Ne ſtupidus ſim, ſi manus, oculos, animum ipſum intermitto ad te attollere, te vt laudibus efferam, tibique benedicam ob tam inſignem benignitatem, &c.

4. Proſtratus ad pedes Iudicis. *Heu, inquam, magne Deus, iudex æquiſſime, heu! quæ fuit hactenus vitæ meæ ratio? fateor equidem lachrymans eâ me fuiſſe impudentiâ, vt improbitatis meæ conſcius crimina criminibus cumulauerim, & adauxerim eo numero, quem tu vnus probè noſti. Quis cœlites tenuit Numinis tui ſatellites, quin me interemerint? vicit tua clementia, Deus ſummè miſericors, vicit improbitatem meam, & tuâ miſeratione effectum eſt, vt non perierim funditus. Atque hoc causâ eſt, cur accedam ad te hodie præfidens, veniámque demiſſo animo petam,*

Laua me iterum, atque iterum tuo ſanguine, ô Agne integerrime, &c.

5. Ad illum pariter accedemus, ſi lubet, vt ad Regem ſubditi, ad Magiſtrum diſcipuli, ad Medicum ægroti, ad Paſtorem oues, ſponſæ ad animorum ſponſum.

CAPVT XX.

Aliud genus actionum peculiarium, quæ eôdem ſpectant noſtri ratione habitâ.

1. ALiæ actiones fieri à nobis poſſunt, ſi nos ipſos reſpiciamus, Deo optimo maximo, noſtrique ſtudioſiſſimo gratiſſimæ. Dum viuemus ex mente, vt fert nobis impoſita lex, referemus identidem animum ad nos ipſos, vt vitio euellendo, inſerendæque virtuti operam demus: ſi ergo tùm comperiemus à rerum diuinarum meditatione adductos nos eſſe ad pios quoſdam ſenſus, quibus exarſerimus ad aliquid ſuſcipiendum, hinc occaſionem nacti renouabimus

nouabimus ad Auguſtiſſimum Sacramentum ſuſceptum conſilium; inquiremus rationes nouas, quibus in propoſito confirmemur, præuidebimúſque occaſiones,quæ nos ab illo deterrere poſſint, illas vt vitemus ipſius ope & auxilio. Exempli cauſâ, manè inter meditandũ mihi fuerit præclara quædã oborta lux, iniectúſque nouus pietatis ſenſus de Prouidentiâ, quo remoto impiorum errore conſtituerim certò ad illius conſilium,nutúmque me totum accommodare. Cùm ſtatâ horâ S.Sacramentum viſam, dicam ad Aras ſtratus. *Ni Pater tuus, ô Domine ſingulari eſſet in homines bonitate, an vindex illius Numen improborum, perfidorúmque hominum, qui Prouidentiam ereptam tibi volunt, ne farium crimen tantâ animi patientiâ toleraſſet? ſi verò mentem illis non obſcuraſſent ſua vitia,nonne diſpicerent ipſi, cùm tu prima, & ſumma rerum omnium cauſa ſis,omnes præclaras dotes, eáſque maximè, quæ naturæ ſunt intelligentis, in quibus eſt ipſa prouidentia, tibi iure tribuendas eſſe? Num animaduertiſſent, cùm ſapientia tua infinita æqualis ſit præpotenti vi, imò*

ſit omnino eadem, cúmque effeceris ipſe omnia, ita pariter nutu ſapientiæ tuæ & conſeruari poſſe, & regi? Verùm, nonne ſuam ſtupiditatem mirati fuiſſent, qui non veriti fuerint id denegare Deo, quod Patri familias ſuâ in domo, Prætori in vrbe, ſummo Duci in exercitu, Principi, ac Regi in regno detrahere minimè poſſent? Vtinam, Domine, qui es vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, vtinam illorum animos eâdem, quâ hodie manè meum luce illuſtrares! breui profectò agnoſcerent & cogitationis ſuæ turpitudinem, & criminis atrocitatem, & Cacodæmonis fraudem, quâ illorum acies ità perſtringitur, vt non attendant, ſi prouidentia eſt recta gubernatio Opificis intelligentis, qui ad finem referat omnia, eam nulli meliori iure tribuendam eſſe, quam tuo Patri, qui cùm ſuæ gloriæ causâ effecerit hunc Mundum, eò tam ſapienter reuocat omnia, nihil vt in illo fiat, nihil ſuſcipiatur, quin illò ſpectet, aut eodem tandem recidat, licet quod adipſum attinet, nihil caſu, & fortuitò eueniat. In quem ſententiam intelligebam ex te, eâque animi voluptate, quam percipere quidem

potui:

potui, at non poſſum dicendo proſequi, Patrem tuum cùm ex æternitate ſuam tecum naturam communicaret, proſpexiſſe fore, vt ſi aliquando cum naturâ noſtrâ coniungereris, inde conſtaret opus omnium perfectiſſimum abſolutiſſimùmque, ſique huius gratiâ efficerentur, quæ in hoc Mundo cernuntur omnia, ex his plurimùm gloriæ deriuatum iri. Quod conſilium cùm ſuſcepiſſet, ſtatuit, vt Mundus iſte comparatus eſſet ad vſus naturæ noſtræ ad tam nobilem cognationem euectæ, ſubiicerentur tibi omnes homines, tu illius eſſes, & per te ad principium ſui reuocarentur omnia; Quod certè præclarè perfectum demiramur. Enimuerò natura omnis ſiue quæ ſuprà eſt, ſiue quæ infrà, aut alendis corporibus, aut informandis animis inſeruit. In hominibus, probi in conſpectu tuo genua flectunt, téque fide, atque obedientiâ colunt: quos culpæ pœnitet, ii ſuâ pœnitentiâ tuam miſericordiam prædicant; improbi ſuis ſceleribus, quæ ipſe toleras, tuam patientiam declarant: quibus voluntas eſt obſtinatior, ii ſentiunt Numinis vindicem manum. Tu verò, qui nihil optaſti vnquã, nihil ſuſcepiſti

nihil effeciſti, nihil perpeſſus es, quin Patri perhonorificum eſſet, etiamnum illi aſſidens ſuperior cæteris cœlitibus, ac rerum potitus, non intermittis honori illius ſtudere, ſtudebiſque in ſempiternum tempus. Quare ad illius gloriam referentur demum omnia ex ſuſcepto iam ab omni æternitate conſilio. Quod vt perſuadeat tuus Apoſtolus, hanc profert arcanam oppidò ſententiam; Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. Cum igitur perfecta, & abſoluta prouidentia conſiſtat in perducendo ad exitum conſilio, ſi referrent animum ad veritatem, nonne vnà nobiſcum, ô Domine, illud ab vno de famulis tuis ſcitè dictum vſurparent, Tua, Pater, prouidentia gubernat; attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter? *Verùm licèt taceant vniuerſi, ſtatuo id celebraturum me, & quandiu vita ſuppetet, ornaturum laudibus, profiteórque coram conuerſurum me tuâ gratiâ ad nutum præpotentis, ſapientiſſimæ, ſuauiſſimæque gubernatricis, expulſis animo curis, ac ſolicitudinibus, quæ illum perturbant, priuantque eâ pace, quæ impertitur iis, qui te colunt, quaque ij perfruuntur.*

2. Quod

2. Quod ſi mente inſpectâ deprehenderimus propenſos nos eſſe ad efferueſcendum crebriùs ſtomacho, & iracundiâ, ac proinde nobis opus eſſe manſuetudine, quâ aliorum errata æquo animo feramus; ſi è commodorum nimio ſtudio animaduerterimus peccare nos contrà temperantiam, noſtríque victoriam; ſi è loquacitate nimiâ, vaníſque occupationibus intellexerimus perdi à nobis tempus inutiliter; denique ſi culpæ aliæ argumento fuerint carere nos virtutibus aliis: hinc dabitur occaſio petendæ virtutis, quam tùm neceſſariam nobis eſſe duxerimus, non ſolâ vtilitate noſtrâ ſpectatâ, ſed hoc præſertim, vt ille nos famulos habeat ad ſuum arbitrium fictos; contra atque ſe gerunt plurimi, qui non aliâ de cauſâ videntur lucis vſurâ frui, quàm vt viuant, diteſcant, exædificent ædes, ſerant vites, adeóque in rebus diuinis hebetes ſunt, vt aliquos videas, qui multos annos non emerſerint è cœno in quo iacent, vixque ſint vſi ſemel prece bonâ.

3. Quoniam verò ſæpiſſimè nobiſmetipſis minimè conſtamus, & poſtquam multa præclarè conſtituimus, imbecilliores ſumus ad recidendum in culpam, quàm conſtantiores ad permanendum in propoſito: ſi continget implicari nos hoc malo, præſtò erit pietatis munus aliud, quo ſeceditur ad Aras, culpa commiſſa proditur palam, nec voce tàm ſummiſſâ, quin hæ voces excipiantur auribus, *Tuâ amplisſimâ benignitate fretus, ô Domine, venio ad ſacram Ædem in conſpectum tuum, licet me profectò pudeat violatæ fidei, tam ignauè & abiecti conſilij, quod tuo inſtinctu de hoc culpæ vitando manè ſuſcepi. Non mihi defuit, ſuauiſſime Domine, auxilium tuum: at ego ignauus auxilio tuo defui, & quanquam allectus gratiâ tuâ, lapſus tamen ſum iterum in culpam meam, hoc, & illud feci*, hîc quidquid eſt culpæ cum doloris ſenſu explicandum. *Erratum non excuſo, ſed agnoſco, & fateor, recipióque ope tuâ conſtantiorem fidem. Culpam deprecor, non tam metu pœnæ, quam mereor, quàm amore tui, quem offendi. Ignoſce*

igitur

igitur clementiſſime Ieſu, atque iſtud compenſationis accipe (Pauimento libatur oſculum, vel aliud quidpiam fit ex tempore pro cuiúſque commodo) *vſque eò dum confeſſus Sacerdoti, quod iſte mihi pœnæ inflixerit, ipſe ſubeam.* Quibus dictis, vel aliis eiuſmodi ſurgitur animo vitæ emendatioris; quòd ſi reciditur, repetitur idem rurſus. Deus enim, qui peccatum odit, ſenſum animi pœnitentis reiicit nunquam, ac præſertim ad ſolium iſtud gratiæ, quod voluit eſſe veluti Noſocomium quoddam Regium, à diuinâ clementiâ extructum, cuius aditu prohiberetur nemo, modò ſanus fieri vellet.

4. His adiungi poterunt actiones aliæ eiuſdem generis, quas ex inflatu diuino intelliget is, qui ſeſe in hac exercitatione ſtrenuum, ac conſtantem adhibuerit.

CAPVT XXI.

Speciatim pro rebus ſecundis, & aduerſis.

1\. QVæ proſperè, vel contrà atque optamus, nobis eueniunt, & varietate multo maiori, & ſerie minus certâ, quàm dies, noctéſque, quibus vitæ noſtræ curſus continetur, ea nobis argumenta plurima huiuſce exercitationis piæ in viſendo S. Sacramento ſuppeditant. Dauidi Regi ſtatim, atque aliquid ex ſententiâ proceſſiſſet, primùm veniebat in mentem conferre ſe ad Tabernaculum vt cum Deo de rebus ſuis communicaret. Quò ſeipſum hortans, *Conuertere*, inquiebat, *anima mea, in requiem tuam, quia Dominus bene fecit tibi.* & aliàs, *Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum, qui bene fecit mihi.* Id pariter nobis vſurpandum eſt pro datâ occaſione adeundo ad Saluatorem, illúmque in hoc Sacramento alloquendo, tanquam aut accepti beneficij authorem, aut

Pſ. 114. 7.
Pſ. 56. 3.

amiſum

amicum fidiſſimum; ſi authorem beneficij compellabimus, hac vtemur formulâ. *De tuâ, Domine, non modò magnitudine, ſed etiam & nominatim, munificentiâ prædicare palam oportet, eam ratione mei nullis circumſcriptam eſſe terminis; etenim me licet indigniſſimū donis cumulat. Et verò nunc augeor à te hac recenti gratia.* Hæc ſuis adiunctis explicãda planius. *Accedo nunc acturus tibi gratias maxima animi demiſſione, maximoque amoris ſenſu. Accedo deoſculaturus ſuauiſſimam iſtam manum, à quâ tantum beneficij in me collatum eſt, obteſtórque ſanctam iſtud Altare id me complexurum memoriâ toto mei temporis decurſu; atque hoc præſertim nomine, quòd intelligam fructum eſſe delectûs, cooptationiſque tuæ, qui non mihi caſu quodam, ac temerè obtigit: ſed certo conſilio tuo, animique ſententiâ, quoniam ſic tibi viſum eſt; viſum autem, quia tu optimus, &c.*

2. Si agemus cum illo, vt amico, ſtatum illi omnem ſecundæ fortunæ ſigillatim exponemus, deinde præbebimus, quod erit in illâ optimum cum hoc amoris ſenſu, quo maius illi bonum, quàm nobis ipſis, eò

quòd

quod amoris præſtantia id poſtulet, ſyncerè optemus: denique profitebimur chara nobis in poſterum fore vincula omnia, quibus illi obſtringemur, illius vt amori quidpiam quodam modò rependamus.

3. Reg. 19. 4. 3. Cùm res erunt aduerſæ, licebit animo afflicto, vt Eliæ, dolori ſuo tantiſper indulgere. At cauendum, ne id fiat expoſtulando acerbius, ſed leniter, & amicè conquerendo, adhibeatúrque ſemper hæc clauſula, quâ ſeſe mens ad Dei arbitrium totam accommodet. *Vides Domine*, inquiet; *en me opprimit aduerſa fortuna. Vix equidem ferre me poteram ob culparum mearum graue onus: ſtatuiſti exercere me hoc acerbo caſu, quaſi verò neſcires cauſam doloris mei præcipuam, amorem eſſe tui. Hoc ægritudinis cùm illatum eſt mihi, ſi ex te proficiſci intellexiſſem, referrique ad tui Nominis gloriam: tolerarem iam non modò lubens, ſed lætus. Verum me iſtud præterit; quo fit, vt quia doloris aculeos ſentio, teneri non poſſim, quin ſuſpenſus ſim ſuſpicione, ac metu irati in me Numinis. Diſcute mentis tenebras, Domine, tuâ luce. noſti velle*

me

me parere tibi, ac ſeruire, amoriſque legibus ſubiici; noſti nihil antiquius mihi eſſe, nihil optatius, quàm quod tibi gratum videtur, & acceptum; fingo me totum ad voluntatem tuam, patior lubentiſsimè iacere me in mœrore, quandiu tibi libuerit, ſi agitur honor tuus. Agè ergo, hoc miſerabili caſu vtere pro arbitrio, &c.

4. Quanti ponderis, ac meriti ſit committere ſe totum Deo ex animo, vix verbis exequi poſſum; cùm ità comparatum hominem nactus eſt Deus, conſolatur illum, vt plurimùm, afficitque plurimis beneficiis. Abrahamo nunquam magis gratificatus eſt, quã cùm Iſaaco filio carere conſtituit. Illud tamen ad Aras vim habet neſcio quam maiorem. Noui penitus virum Religioſum, qui cùm iam multos annos cogitationibus contrà fidem myſteriis noſtris adhibendam vehementiſſimè vexatus fuiſſet, cúmque pridiè eius diei, qui Chriſti in cœlos Aſcēſui ſacer eſt (diebus enim feſtis acrior erat pugna) penè obrueretur, hac ratione; ſanè mirabili, prorſus eſt liberatus. Animũ premebat ægritudo tanta, *Geneſ. 22. 17.*

lachrymas

lachrymas vt tenere non poſſet. Quo in ſtatu confugit ad Deũ conſolatorẽ, ac genibus connixus *Ecquid iſtud*, inquit, *ô Domine ? quandiu conficiar his ægritudinibus , quæ me ſine leuamine vllo inſectantur ? His oppreſſus vitam ago moleſtam adeò , & acerbam , vt præ illarum acerbitate mortem ducerem eſſe ſuauiſſimam. Inſurgit in me Tartarus vniuerſus, exprobrátque ſine intermiſſione ; at verò nunc acrius, nunc, inquam, cùm vellem impertiri mihi quidpiam pij ſensûs , quẽ habent filij tui ex huiuſce diei ſanctiſſimi Myſterio; exprobrat heu ! quâ menti offusâ caligine ! quâ animi perturbatione, exprobrat , obiicitque increpans nihil in te opis eſſe ad ſalutẽ, Quidquid docent ſacræ litteræ , quod in tuâ Eccleſiâ prædicatur, id omne cõmentum eſſe, fictum ad populos in officio continendos. Proh Deũ verũ! Quouſque? A puero parere tibi optaui, nuntium omnibus idcircò remiſi. Heu vbi iſtæ deliciæ , quibus tuos à te beneuolè accipi ſermo erat ? Num aliud in terris centuplum expectem ? Heu me miſerum ! culpa mea eſt , non mereor. Nihilominùs tamen abiectus ad pedes, vt olim mulier Chananæa, Ieſu, inquã, fili Dauid, miſerere mei,*

Anima

Anima mea malè à dæmonio vexatur. Hæc illius dolori nulli erant leuamento: imò ægritudo ingraueſcens illum, vt vehementior procella, opprimebat; Pendens ergo animi inflexo corpore, quàm potuit humillimè, *O Domine*, inquit, *me vires deficiunt: attamen tibi recipio fore, vt nunquam à te deſciſcam, iuro victurum me, ac moriturum ſeruatâ Eccleſiæ tuæ fide. Tuis conſiliis, mandatiſque me commiſſum volo, iſta veneror, nec aliud volo, quàm quod tibi videtur, quâ ratione tibi placet, & quandiu libuerit.* Sub hæc ſurgens abit; è ſacrâ æde vix egreſſus erat, cùm illi venit in mentem S. Auguſtino librum apertum ſaluti fuiſſe, & quieti, idémque ſibi poſſe obtingere, librum ſi aperiret. Hæc cogitans aſcendit in cellam, & libro, quem primum offendit obuium, aperto, incidit in hanc ſententiam, *Eccur iſtud dubitationis te exagitat? ægritudinem depelle.* Sedata illico perturbatio, tantáque animo diffuſa lux, ſibi vt videretur euaſiſſe in nouum hominem; erupit tum in lachrymas, non doloris

qui

quidem, ſed ſingularis gaudij, quali nunquam totâ vitâ perfuſus eſt. Superſtes fuit annos quadraginta, &, ampliùs, eâ animi lætitiâ, atque in Religione conſtantiâ, nihil vt optaret magis, quàm pro tuendâ veritate, quam illi Cacodæmon conabatur præ ripere, vitam, ſanguinémque profundere.

5. Non multi ſunt anni, cùm fœminæ Deo ſacræ traditum ſingulari gratiâ quidpiam in idem argumentum ſanè perilluſtre. Nitebatur illa genibus ad Aras, quibuſdam animi ægritudinibus, quibus non carent animæ Cœlitibus chariores, ſeu probandæ conſtantiæ, ſeu meriti augendi cauſâ, exercita moleſtiùs, ac de eo cum ſponſo amicè expoſtulabat, cùm apparuit ille, vt ſæpe aliàs, at habitu, & oris ſpecie, quàm anteà, grauiori, cor manu tenens è cryſtallo perpulchrum, ac mirâ luce reſplendens, quod viſum eſt primùm ſpectari cum voluptate, deinde veluti deſpectum abiici, tum quaſi pede impacto propulſum iacere in luto & ſordibus, licèt nec macu

maculatum, nec comminutum, nec læſum vllo modo, ſed æquè, ac priùs, fulgens, & integrum. Quod ſumens iterum in manus ſpectabat ille rurſus, & attrectabat maiori, quam antè, lætitiæ ſignificatione. Obſtupeſcebat illa interim neſcia, quid ſibi vellet viſum iſtud, cùm vox extitit, vt ſi grata illi eſſe vellet, ſtuderet fingendo cordi hoc exemplo, permaneretque in propoſito Deum religioſè colendi perfectâ ad illius nutum, arbitriúmque in rebus omnibus accommodatione ſui. Næ felix anima, quæ eò virtutis peruenit! ſpectat illam Deus, vt laqueis, plagíſque exuat, conſtituátque in viâ rectâ, quâ ad veram felicitatem iter eſt.

CAPVT XXII.

Excuſatio nonnullorum, quo minùs hoc pietatis munus obeant, ſumpta à metu, quem ſimulant, minoris venerationis.

1. CVm ægrorum morbus eſt eiuſmodi, illos vt à ſumendo Viatico prohibeat: Moris eſt ſanctæ Eccleſiæ, qui ſanè peruetus eſt, & in Concilio Niceno renouatus, proponere illud colendum, vt ex eius conſpectu id ſolatij capiant, quod tùm optari poteſt à Chriſtiano homine. Alphonſus Salmerò de Societate Ieſu, vir eximiâ pietate, atque in Theologicis apprimè verſatus, refert ex viris probatæ fidei Deo ita acceptum fuiſſe aliquando hoc pietatis, vt, cùm aliquis ſupremo illo tempore non potuiſſet recipere ſacram hoſtiam, rogaſſétque illam ſacro inuolutam linteo ſibi ſaltem ad pectus admoueri, penetrarit intrò diuinâ vi vſque pectus. B. Fran

Con. Nic. can. 13.

Salm. tom. 9. tract. 35.

Rib. 7. c. 12.

Franciſcus Saleſius Antiſtes, libro de Amore Dei, rem propemodùm ſimilem narrat cum hac clauſulâ. *Video equidem nouum iſtud eſſe, & ſingulare; verùm poſt S. Claræ Montifalconiæ cor diffiſſum, quod etiamnùm patet omnibus; poſt impreſſa S. Franciſco, vt certò conſtat, ſacra ſtigmata, nulla eſt amoris diuini ſignificatio, quam incredibilem eſſe putem.*

2. Si ſpectari tùm, & coli præſentem in hoc Sacramento, Deo perplacet: nemini certè noſtrûm dubitandum eſt, quin iſtud cultûs probet, poſtuléetque cùm ſumus valetudine integrâ. Et verò huius officij prætermiſſio non abeſſet à culpâ, cùm per illam priuaretur Deus eo cultu, quem à nobis expectat; & actio honeſta, dignáque magno præmio omitteretur contrà legem charitatis, quâ quiſque rebus ſuis augendis ſtudere quàm poteſt maximè, tenetur.

3. Sunt, qui afferant excuſationem venerationis, quòd res viſæ crebriùs perſæpe minoris fiant, ſítque verendum ne familiaritas inſolens

con

contemptum pariat. Verum vetus iſtud, ac peruulgatum negligentiæ inuolucrum. Quo qui vtuntur non prudentes peccant, ſed imprudentes. Non is eſt Deus noſter, qui receſſu coli ſe à nobis velit, ſed acceſſu: & illi ſi fuiſſet animus alius, non acceſſiſſet ad nos tam propè; ſeu de Cœlo deſcendens nos quæſiturus; ſeu in terris ambulans nos informaturus diuinis præceptionibus; ſeu nudus de cruce pendens nos à ſeruitute vindicaturus; ſeu ſuper Aras conſidens & paſtu vires refecturus, & leuaturus animum ægritudine. Quî illum colemus, ſi non à manus? qui amabimus, ſi non nouimus? qui pernoſcemus, ſi eo non vtimur? Huius myſterij cognitionem auget vſus, amorem cognitio, cultum ipſe amor. Aberrant ergo illi toto cœlo, neque attendunt inter diuina, & humana quid interſit. In his ſi euenit interdum à crebriori conſpectu, vſuque nimio res ſperni, ac deſpici, id ex eo petitur, quòd diuturno tempore multa in iis imperfecta, vitioſa multa deprehendantur. In illis autem

autem ſecùs accidit. Quò enim magis conſpicitur Deus, eò perfectior cognoſcitur, æſtimatúrque idcircò pluris. Mulier illa Samaritana collocuta primùm fuit cum Saluatore, ac ſi fuiſſet de plebe quispiam; pòſt verò Dominum compellauit, deinde Prophetam, denique Meſſiam prædicauit.

4. Huius excuſationis falſitatem coarguit ratio altera ducta ex auguſtiſſimo Sacramento. Certum enim eſt, qui eo ſæpe vtitur, quo decet apparatu, quémque ſupra expoſuimus, ei tum emolumenti, tũ gratiæ acceſſionem plurimam fieri. Fidem huic rei faciũt quæ allata ſunt abs me, cõfirmátque experiẽtia illorum omnium, qui iſtud, vt par eſt, tractant, quorum nullus eſt, cui non iure tribui poſſit illud Ioannis. *Vidimus, eum plenum gratiæ, & veritatis*, & de plenitudine eius omnes accepimus. Iam verò gratia forma quædam eſt ſuprà naturam, ex quâ virtutes, & dona Spiritus ſancti exiſtant, vt ex animâ vires omnes intelligendi volendi, ſentiendi. Ex quo ſequitur eò nos his donis cumulari *Ioan.* 1

lari

lari magis, quò Deo gratiores ſumus, ac proinde accreſcere in nobis amorem, pietatem, timorem ſanctum, reuerentiam; quo etiam fit, quò quis diligentior eſt in hiſce conſalutationibus, eò plus illi accedere pietatis, atque hoc ſanctiſſimum Myſterium perfectiori veneratione ab illo coli.

5. S. Petro comprobatur primorum Chriſtianorum religio, quòd Saluatorem, licèt in terris verſantem non vidiſſent, amarent nihilominùs. *In quem*, inquit, *nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitiâ inenarrabili, & glorificatâ.* S. Thomas, & alij Doctores grauiſſimi hunc locum de S. Euchariſtiâ accipiunt, in quam primis illis temporibus magnus erat animorum ardor, quæque tùm viſebatur ſæpius, vti ex Epiſtolâ S. Ignatij ad Epheſios datâ colligitur. Si ergo fides, quam de hoc myſterio illi habebant, & lætitiam ipſis afferebat, & excitabat eorum animos ad tribuendum Deo honorem qui non eſſet inferior ſuâ lætitiâ, quam S. Apoſtolus appellat *inenarrabilem*

1. Petri 1. 8.
S. Th. opuſc. 58. c. 15.
Turr. l. 2. de Euch. c. 16. 17. & 18.
Salm. in c. 1 1. Per.
Ignat. ad Eph. epiſt. ordine 4.

bilem: Quid ni ea, ſi æqualis eſt, idem in nobis efficiat.

6. Nihil ſimile expectandum ab iis Chriſtianis hominibus, quibus fides adeò langueſcit, eam vt in primoribus, vt aiunt, labiis habere duntaxat videantur, qui Deum ipſum ore profitentur, reipsâ non colunt, qui ad illius lumen adeò cæci ſunt, & hebetes, ad vocem obtuſi, diuinæ authoritati diffiſi, inertes ad amandum, immemores beneficiorum, vt dies totos elabi ſinant prece nullâ, noctes nullo cultu, hebdomadas, menſes, annos ipſos nullâ propemodùm Dei recordatione, ſeruiántque potiùs carnis illecebris, quàm ſummi Principis legi, Mundo, quàm diuinæ volũtati; Cacodæmoni, quàm cœleſti inſtigationi, atque res creatas ipſarum effectori, ſi non opinione, ac iudicio, at ſaltem ſtudio, ac voluntate anteponant. Quid mirum ſi in eâ viuendi ratione, quæ à pietatis vſu abhorreat, deſit illorum auguſtiſſimo Sacramento obſeruantia? Num bellè cadit in illorum quemlibet hæc S. Bernardi reprehenſio;

Serm. de cœnâ Dom. panem. Anſel.

Quid facis, inquit, *homo ingrate? Adora deuotiùs, & recole frequentiùs in Sacramento altaris ſalutem Mundi pro te paſſam, vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatam.* Faceſſat igitur hoc cauſæ, quod prætenditur, non id afferatur ampliùs tanquàm iuſta, ac legitima excuſatio, quâ harum conſalutationum officium prætermiſſum defendatur. At potiùs inſideat iſtud in animis penitus familiaritatis nimiæ allatam excuſationem valere in his rebus imperfectis, & vitioſis, quarum vitia cùm vſu ipſo pernoſcantur, fit, vt ab iis faſtidio, & contemptu animi abalienentur; denique conſulatur ipſa experientia, quâ comperietur certò in Chriſtianis vix vllos eſſe negligentiores in perſoluendo S. Euchariſtiæ debito honore, quàm qui ad illam minùs frequentes accedunt.

CAPVT

CAPVT XXIII.

Excuſatio altera animi non idonei ad illa munera ritè obeunda.

1. AFferunt alij excuſationem inſcientiæ, cauſantúrque ſi ad Deum adirent tam lenti, quales ſolent eſſe, ac frigidi, támque rudes, & imperiti illarum actionum, quas explicuimus, fore vt ſibi non Dei gratiam, ſed iram accerſerent. Ex quo efficiunt non eſſe ſuas partes, vt veniant in collocutionem cum Deo, ſed aliorum, qui in hoc genere viuendi ex mente exercitatiores ſunt; ſibíque ſatis, ſupérque eſſe oportere ſacris in ædibus verſari, vt ruſticanos homines, qui illas non niſi diebus feſtis frequentant. Qui ſermo ſi cum ſenſu animi verè demiſſi haberetur, probarem profectò, eoſque ducerem eſſe ſapientes. Ad Abigailem cum allatus eſſet à Dauide nuntius de coniugio *Egone*? inquit, *fœmina pernobilis, ac ſapiens? Ego ea ſim, cui tantus honor deferatur? duxerim* 1. Reg. 25.41.

equidem honori maximo vel pedes abſtergere eorum, qui Domino meo ſeruiunt; humilior eſt Abigaïl, quàm vt Principis gradum cogitet. Tanti fuit iſta modeſtia, eam vt præ cæteris dilexerit Dauid.

2. Si ergo is eſſet illorum hominum ſeuſus, profectò res illorum eſſent optimo ſtatu apud Deum, qui modeſtos fert in oculis; verùm vt, credam illorum animos ab hoc ſenſu alienos eſſe, adducit me timiditas iſta, & ignauia, quæ argumento eſt hebeſcere illos in diuinis veterno quodam occupatos. Certè in culpâ ſunt qui tam malè ſentiant de facilitate, quâ Deus amatores, cultoréſque ſui accipit. De Magis, qui illum Bethleemi venerati ſunt, non memini me legere ab iis ſermonis quicquam habitum cum illo coram. Quàm tamen ipſi grata, quàm accepta fuit illorum viſitatio? Age, animum compara, vti abs me monitum eſt, deinde ad pedes ſummi Regis abiectus iſtud de tuo prome, omnium rerum inſcium te eſſe, & rudem, verba tibi deeſſe, quibus

Matth. 2.

quibus cum illo colloquare ; at cor eſſe, quo illum ames, & animum ad expurgandum quicquid illi diſplicet , paratiſſimum. Adiunge precem Dominicam , fidei formulam , aut aliud eiuſdem generis, & ſpera amicorum delicias.

3. Vix pedem in Templum inferre *Luc.* 18. 13.
audebat Publicanus culpæ conſcius, vix oculos attollere , vix verbum vllum proferre genibus connixus. dixiſſes obmutuiſſe hominem , nec niſi ſignis loqui : at ea ſigna erant eiuſmodi , quæ & dolorem animi acerbum , & humilitatis ſenſum maximè demiſſum indicarent. Atque id cauſæ fuit, cur ſpectatus fuerit oculis adeò æquis , & propitiis, vt domum redierit cumulatus ampliſſimâ gratiâ. Fatetur ipſe Dauid , non eximiâ eruditione , non eloquentiâ præſtabili : ſed ignorantiâ rerum , inſcitiáque loquendi ad arcana Dei myſteria pernoſcenda ſibi patuiſſe aditum. Quo loco verò habita fuit vidua illa , quæ in Gazophylaciũ ſuos illos denarios

duos coniecit imperita totidē voces ore mittendi. Perge porrò ad illud ſacri amoris Gazophylacium, ad Dominum & optimum, & ſuauiſſimum, & perge, atque iſthæc profer; *Deus optime vide me ad pedes tuos abiectum, qui verſer in ſummâ rerum omnium ignoratione, qui nihil poſſim effari niſi hoc vnum, mihi denarios ſuppetere duos, corpus, inquam, miſerum, & animum criminis reum; annue vtrumque vt præbeam, atque vt mihi Deus & da ſim tuus toto vitæ meæ tempore, & mancipio, & nexu.*

4. An quicquam eſt facilius? Ecquis porrò ingenio eſt adeò hebeti, qui ſaltem hæc verba tria non poſſit proferre commodè? Hæc ſi proferentur ex animo, polliceor viſitationem fore tibi perutilem, nec à Deo acceptum iri te minùs
3. Reg. 20. 2. munificè, quàm à Salomone Reginam illam Sabæorum, quæ non perhibetur longum cum illo ſermonem habuiſſe, ſed aperuiſſe duntaxat animi ſui ſenſum. Quandiu hæc vita mortalis agitur, plus tribuitur guſtui, quàm intelligentiæ, plúſque concedi-
tur

tur voluntati quæ complectitur, quàm menti, quæ perſcrutatur exquiſitiùs. Sic in cœlo propiores ſunt Deo Seraphini illi qui amore exardeſcunt, quàm qui illuſtrati ſunt rerum cognitione Cherubini. Eccur ergo nos illius aditu prohibeat in terris inſcitiæ noſtræ metus? ſi Moyſes &ſuæ imperitiæ,& hæſitantis linguæ rationem habuiſſet, an aſcendiſſet vnquam ad montem cum Deo congreſſurus? an inde fuiſſet exportata lex, quæ facem Mundo prætulit, rexitque mores omnium?

CAPVT XXIV.

Excuſatio alia languidioris ad pietatem ſtudij.

1. HAbent alij excuſationem animi parum affecti ad pietatis ſtudium, aiúntque ſuum illud frigus Deo, ſi ad illum accederent, offenſioni fore, ſibi verò periculo ſeueræ animaduerſionis, vti ſermo eſt de quibuſdam quos Mater ipſa miſericordiæ reiecit abs ſe, quòd in ipſius

Herib. Roſw. in eius vitâ.

cultè languidiores eſſent. Teſtis Thomas de Kempis vir religione, & pietate inſignis, qui cùm litteris operam daret adoleſcens, certarúmque precum, quas ſibi præſcripſerat Cœlitum Reginæ honorãdæ gratiâ, penſum prætermiſiſſet, vidit illã in ſomnis de nocte veluti de cœlo in ampliſſimum conclaue deſcendentem, vbi cum aliquot è condiſcipulis ſuis feruentioris ſtudij, viro ſui Ordinis verba de rebus diuinis facienti præbebat aures, ſingulóſque magnâ humanitatis, & beneuolentiæ ſignificatione complectentem: cùm id gratiæ opperiretur ardenti deſiderio, accidit contrà quàm ſperabat, ipſum ab eâ repelli, ſpectari vultu ſubirato, atque hiſce verbis redargui. *Ecquid, leuis, & inconſtantis animi puer, opperiris ex me delicias, cùm officium precum, quas mihi fundere conſueueras, negligenter prætermiſeris? A quo tempore non perſoluiſti? Abi procul à conſpectu meo, & pro certo habe, quandiu te iſta negligentia tenebit implicatum, nullâ te gratiâ meâ affectum iri.* Hoc prætẽdunt iſti, nec ignorant alia plurima exẽpla

iſtiuſmodi,

iſtiuſmodi, ex quibus conficiunt, ſi Mater illa eximiæ ſuauitatis, ac manſuetudinis non patitur eos, qui pietatis in ipſam officio defuere, eos multò minùs toleratum iri à Chriſto viuorum, ac mortuorum iudice, qui tam malè affecti auſi fuerint illum conuenire.

2. Iſtis vt reſpondeam, ipſorúmque purgationem refellam, intelligant primùm errare complures in ſuâ pietate æſtimandâ. Cum enim illam poſitam eſſe putent in precatione longiori, in manendo diutiùs in ſacris ædibus, in permagnâ abſtinentiâ, in carne afflictanda crebriùs cilicio, flagellis, & aliis eius generis, non autem, in quo ea verè conſiſtit, in animo prompto, & alacri ad obtemperandum Deo, ferendíſque omnibus iis, quæ ſanctæ prouidentiæ nutu nobis eueniunt, hinc fit, vt, quia ſigna illa pietatis, quam ſibi fingunt, in ſe non deprehendunt, inducant animum malè ſe ad Dei cultum eſſe affectos, tametſi, quia verum eſt illis pietatis ſtudium, alios reuerâ eſſe ducat ipſe Deus.

Ruff. l. 3. *de vit. PP. n.* 97. 3. Mulieribus illis duabus, quas, vt perhibent Hiſtorici, inuiſit Macarius Abbas ille ſanctus, cùm de illarum ſanctitate certior factus fuiſſet diuinitùs, idem erat ſuæ pietatis ſenſus, quo miratæ ſunt vehementer virum illum magnum è ſuâ ſolitudine egreſſum fuiſſe, ipſas vt percuntaretur de ſuâ viuendi ratione, ac ſi digna eſſet laude *Heu! mulierculæ ſumus*, inquiebant, *maritis noſtris ſubditæ, rebus diſtentæ domeſticis, conſciæ multa in nobis imperfectæ eſſe, multa deeſſe. Iniecta quidem animis cupiditas nuntij Mundo remittendi: at poteſtate non factâ cogimur remanere curis coniugij diſtractæ; conamur vitam agere cum mutuâ ſenſuum, & animorum conſenſione, ac ſtudere linguæ ita coercendæ, nihil vt leue, & futile excidat. Verùm quid hoc tandem eſt vir Deo dilecte? impetra nobis à Deo miſericordiam.* Nihil erat illis, quæ erat ipſarum opinio, nihil erat frigidius, nihil indignius laude: Attamen viro illi ſancto, qui famâ ſanctitatis ſpectatiſſimus erat in ſolitudine, vox ab

vno

vno de cœlitibus extitit, nondum ad mulierum illarum laudem illum acceſſiſſe.

4. Idem dixerim de compluribus aliis, qui cùm ſe implicatos videant viuendi genere minùs perfecto, multa ſibi affingunt vitia, quamuis Deo videantur eximiâ, & exaggeratâ virtute. Centurio ille Euangelicus indignum ſe eſſe profitebatur, cuius domum Chriſtus viſeret : de eo tamen idem Dominus prædicauit in Iſraëlitis compertum abs ſe fuiſſe neminem, cui ille non antecelleret fide. Mulier Chananæa ad pedes illius ſtrata ſe canis loco in ipſius conſpectu ducebat : attamen eam ille ſpectabat, vt ſuæ miſericordiæ præclarum monumentum, fidem magni faciebat, collandabátque Apoſtolis præſentibus, & præter reſtitutam corpori filiæ ſanitatem, quã poſcebat, quam non poſtulabat animæ ſalutem vltrò dedit. Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus ſermonẽ habet de latrone, cui nomẽ erat Dauid inſigni permultis flagitiis, quibus loca Hermopoli vicina

Matth. 8. 8.

Matth. 15. 27.

reddebat infeſta. Is cum aliquãdo inſtinctu quodam, & afflatu diuino ætatem abs ſe tam ſceleſtè actam, ac decurſam cogitaret, ſtatuit ad meliorem frugem recipere ſeſe, ac ſeuerâ in ſe vti animaduerſione. Hoc animo contulit ſe ad celebre Monaſterium in regione illâ poſitum, poſtulauitque ſummâ animi demiſſione ingreſſum veſtitúmque. Abnuens Abbas, quòd videret hominem eſſe ætate iam affectâ, obiiciebat fractas, ac debilitatas ſenio vires non fore idoneas ad ſuſtinendos vitæ ſuæ, ac inſtituti labores; ille contra nihil futurum animo ſuo difficile contendens hoc vnum poſcebat, virium ſuarum periculum fieri. Cum Abbas perſtaret in ſententiâ firmiùs, nec iſte demiſſò illo ſermone ſupplicis quicquam aſſequeretur ſumptâ iterum latronis perſonâ ſeipſum prodens. Heus, inquit, Abba, ſum ille Dauid prædonum princeps, de quo tam multa commemorari audiiſti; quò d domo tuâ recipi poſtulaui, id eo animo feci, vt præteritæ vitæ ſcelera abſtergerem inibi lachrymis. Idẽ

etiam

etiam rogo te, atque obſecro; quod ſi abnuis, iuro per Deum immortalem rediturum me ſtatim ad ſocios, ac propediem reuerſurũ non animo ſupplicis, ſed conſilio euertendarum ædium iſtarum funditus, meique veſtrûm omnium cæde cruentandi. Plùs valuere minæ, quàm preces; patet limen, ingreditur, veſte Monachi induitur; Et verò diuinâ tùm gratiâ cumulatus perſonam veterem ità depoſuit, vt breui in luce omnium extiterit, tanquã vnus de cœlitibus humano in corpore. Illo nihil erat demiſſius, nihil humanius, comius nihil, & officioſius. Inediam, vigilias, cilicium, & alia eius generis omnia in deliciarum numero habebat. Et erat hominis virtus, vt in virtute plurimùm progreſſi eo ſe vti magiſtro poſſe faterentur: at verò latronem ſe ipſe ducebat ſceleſtum, ac flagitioſum, indignúmque prorſus, qui cum vel infimis verſaretur. Hæc in cellâ cogitanti multo cum fletu apparuit Angelus, qui Dei verbis certioré illum reddidit de condonatis criminibus, addiditque per illum effectum iri præclara multa, & mirabilia

adi

ad ipſius Dei gloriam. Viſum pro nihilo ducit ratus adeò exiguâ caſtigatione corporis non potuiſſe tã breui tempore tot, tantáque crimina expiari. Coarguit hominem Angelus, atque eâdem, quâ Zachariam, pœnâ mulctat; ille delicti veniã petit, cui cõcedens aliquid Angelus, ac de pœnâ remittẽs edixit linguæ vſũ liberũ illi fore ad Dei laudes celebrãdas in choro fratrum, extrà verò minimè. Rem exitus comprobauit. Quo ſuauiſſimæ miſericordiæ exemplo docet nos Deus ſuæ mentis ſenſa, & conſilia, vt
Iſ. 55. 9. habet Iſaias, non ſemper hominum cogitatis conſentire; atque eſſe, qui cùm ſibi videantur Dei amore indigni, illi ſint acceptiſſimi.

CAPVT XXV.

Continuatio reſponſionis.

4. ADdo deinde tametſi ad veræ pietatis ſtudium frigidiùs affecti eſſent, non continuò tamen prætermittendum illis fore iſtud religioſi officij, dummodò ne inſideret animo affectio mortifera, Etenim leuis eſſet

tùm

tùm culpa, quâ, cùm nec amitteretur gratia, nec amicitia cum Deo ſolueretur, ſpes eſſet fore, vt quos videret proſtratos, & iacentes, eos minimè repulſurus eſſet, imò illorum miſeratus imbecillitatem iniecto doloris ſenſu, & amoris, culpam eſſet illis omnem remiſſurus.

2. *Euchariſtia*, aiunt PP. Concilij Trid. *eſt tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur; pignus præterea futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis. Eſt medicina ſpiritualis animorum*, inquit S. Ambroſius Iam ab illâ ſupremâ cœnâ, cùm hoc Sacramentum inſtitutum eſt, tantum miſericordiæ ſpecimen à Chriſto editum, vt quanquam, ſubiicit Sanct. Chryſoſtomus. *O Chriſti miſericordia! ô Iudæ dementia! Ille eum triginta denariis paciſcebatur vt venderet, & Chriſtus ei ſanguinem quem vendidit offerebat, vt haberet remiſſionem peccatorum, ſi tamen impius exiſtere noluiſſet.* Exinde cœlites noſtri causâ apud illum interpoſuere ſe deprecatores. *Nam*, inquit idem alibi, *vt homines ramos*

Trid. ſeſſ. 13. c. 2.

Ambr. l. 5. de Sacram c. 4. & in 1. ad Cor. c. 11.

Chryſoſt. hom. de trad. Iudæ, & in 1. ad Cor. cap. 4.

olearum

Chryſoſt. hom. 3. de incompreh. nat. Dei. *olearum gerentes mouere Reges conſueuerunt, eoque arboris genere miſericordiam commemorant, & humanitatem: ſic Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipſum protendentes, rogant pro genere humano, quaſi dicant: Pro his Domine rogamus quos tu adeo dilexiſti: vt pro eorum ſalute mortem obires; pro quibus ipſe tuum largitus es Sanguinem, pro quibus Corpus hoc immolaſti.* Qui ergo, quòd ſentiret pietatis ſtudium deferueſcere, tam iucundâ, tamque vtili Dei præſentis conſuetudine careret: nonne is grauiſſimæ imprudentiæ inſimularetur, & incuriæ? An ab igne remouentur corpora, quòd frigore obriguerint.

3. S. Gertrudis ætate, cùm eſſet *Bloſ menil ſpir. ca. 6.* nonnemo, qui quorumdam languidiori, vt ipſe rebatur, ſtudio acceſſum ad ſacras epulas crebriorem reprehenderet, rogaretque Dominum, virgo ſancta cuius non erat is ſenſus, quid ipſi porro videretur, hoc ab eo reſponſi datum eſt. *Quando voluptati duco cum hominibus verſari, recepique commoraturum vobiſcum in hoc*

Sacramento vſque ad extrema tempora, quicumque ſermone ſuo, & inductu hinc arcet quempiam nullius culpæ mortiferæ conſcium eò ſolum nomine, quòd frigidè ſit affectus, perinde ſe aduerſùs me gerit, ac moderator iunioris Principis, quem iſte à congreſſione aliorum eiuſdem ætatis, quâ oblectaretur, quòd eſſent infimæ conditionis prohiberet. Addit hiſtoricus hæc retuliſſe Gertrudẽ. *At Domine mi, is animo ſi conſtitueret temperaturum ſibi in poſterum ab hac culpâ, nonne veniam exoraret? Non modo ignoſcerem,* ſubiecit Chriſtus, *ſed peræquè gratus mihi foret, ac Principi Moderator ſuus, qui comiter, & officioſè ad ipſum reduceret charos ſodales quibúſcum luderet.* Quod ſtudium ad Dei cultum languidius ſi non debet Chriſtianos à ſacrâ Synaxi prohibere, quantò minùs à viſendo Sacramento?

4. At enim, inquies, ſignificauit ſæpenumero Miſericordiæ Parens, optima repelli abs ſe, qui ſuo in ipſam officio deeſſent; fateor illud equidem: verùm addo fuiſſe maternæ pietatis præclarum indicium. Enimuerò ſe cum illis perinde geſſit, ac pia & pru-

dens

dens mater, quæ tametſi filium perpetuo velit amore complecti, nihilominùs tamen ſi aliquid nonnunquam offendat, ſi incurrat aliquò minùs commodè, quò illum ad officium reuocet, increpat, expoſtulat, quaſi eum velit abs ſe ablegatum dimittere, grauiter ſuccenſet. Ita prorsùs Dei Parens cùm viſa eſt ſuis iratior, cùm eos offenſa, arcere à ſuo conſpectu; non habuit in animo, eos amandare procul, iiſque denegare quidquid eſt maternæ curæ, ac præſidij: ſed ſimulatâ ſeueritate excitare illorum animos, atque ad priſtinum pietatis ſtudium reuocare vehementiùs.

5. Quare in hoc Sacramento noſtri amantiſſimum quando ſeſe exhibet Mariæ filius, perſuaſum nobis debet eſſe, ad eum ſi adierimus ex animo, licèt affecti frigidius: tamen ipſius clementiâ effectum iri, vt ab animaduerſione ad bonitatem, & beneficentiam traducatur.

CAPVT XXVI.

Excuſatio alia eorum, qui hac viſitatione abſtinent cauſati nihil admodùm fructûs inde abs ſe percipi.

1. AD iſtud refutandum mihi tria, vel quatuor occurrunt digna, quæ expendantur attentiùs. Primum eſt contingere certè poſſe, vt in iis qui hoc muneris obeunt, nonnulli ſint, qui ex eo nihil emolumenti capiant. Sed culpam in ipſos eſſe conferendam, quòd debitam diligentiam non adhibeant. Accedunt antequam collegerint ſeſe, animo curis, ac negotiis domeſticis diſtēto; Accedunt ſuorum commodorũ inductu, vſitato more, ſtudio duntaxat explēdi officij, operâ pertenui, ne inferiores aliis videãtur in hac parte; fortè cum aliquâ ſimulatione, atque vt pietatis, religioníſque opinio habeatur. Quid mirũ ſi tam malè affecti cùm accedãt, nihil omnino fructûs ex eo munere ferant. Perceptio fructus è bono vtili, non

non ipſo vſu boni, ſed vſu bono metienda eſt. Lege Moyſis vetabatur eſus auium, quæ ſimul volatiles eſſent, & aquatiles, eáſque aditu templi, & aris volebat eſſe prohibitas. Quandiu vitam iſti degent, vt piſces in cœno eiuſmodi obſcœnitatum, licèt, tanquam aues ad ſacras ædes aduolent hoc officij reddituri: nunquam Deo habebuntur alij, quàm impuri, ac turpes, nec vllum inde certum emolumentum referent, animorum motus erunt illis æquè turbidi, & concitati atque anteà, æquè ardens auaritia, æquè inhærens inuidia, æquè furens libido, æquè effrænata ſuperbia.

Leuit. c. 11. 16. Deuter. 14. 15.

2. Alterum eſt non deeſſe, qui fructum ex pietatis exercitatione capi ſolitum è ſuaui quodam guſtu, ac ſenſu rerum diuinarum pendi putent, rati ſe profeciſſe plurimùm, ſi lachrymula effluxerit ex oculis, ſi ſe tenerius affici ſenſerint, ſi perfundi ſuauitate aliquâ, & voluptate: Contra verò nihil aſſecutos eſſe, illis omnibus ſi caruerint. In quo maximè

mè falluntur. Iſtud enim lachrymarum, affectuum, ac ſuauitatum nihil aliud ſæpenumero eſt, quàm teneritas quædam, à tenerâ, & molli habitudine corporis, vel etiam Cacodæmonis fraude orta, cadítque interdum in homines implicatos vitiis pariter, & in eos, qui in altiori virtutis gradu locati ſunt. Quòd ſi ex eo æſtimanda eſſet cuiuſquam progreſſio: contingeret perſæpe molles homines, & voluptarios, vitiisque permultis contaminatos magis in virtute progreſſos eſſe, quàm alios, qui puriùs ex mente viuunt obſcuri propemodùm omnibus, Deo vni cogniti. Quare in re ſolidiori poſitum eſſe virtutis fructum pro certo tenendum eſt. Et verò quanquã illis deliciis perfruens animus, iiſdem vti poſſit tanquam illecebris quibuſdam ad ſancti amoris exercitationem: tamen non debet in illis acquieſcere, ſed habere perſuaſum ſuo iſto genere pietatis exili, & arido quidem, at fideli & conſtanti, in quo, licet magno cum faſtidio pergit eam tenere viam, quam inſtituit, plus adepturum ſe eſſe

eſſe præmij, quàm cæteris omnibus, quæ voluptate illâ, illíſque deliciis ſuſciperet. Quò enim in rebus agendis Dei cauſâ maior obiicitur difficultas ſiue interior, ſiue quæ exiſtat extrinſecùs, eò, vt plurimùm, magis elucet in nobis amor, quo illum proſequimur. Atqui certũ eſt vbi plus eſt amoris diuini, inibi etiam promeritum eſſe amplius. Scitum eſt illud viri in rebus animi verſatiſſimi, atque ad inſtitutum maximè accommodatum. *Non eſt in eo tantùm ſpiritualis vitæ profectus, cùm conſolationis habueris gratiam, ſed cùm humiliter, & abnegatè, patientérque tuleris eius ſubtractionem, ita quòd tunc ab orationis ſtudio non torpeas, nec reliqua opera tua ex vſu facienda, omnino dilabi permittas: ſed ſicut melius potueris & intellexeris, libenter, quod in te eſt, facias: nec propter ariditatem ſeu anxietatem mentis, quam ſentis te totaliter negligas.*

Tom. de Kemp. l. 3. de imit. c. 8.

3. Tertium eſt videri quoſdam ſibi ſua obire munia fructu nullo, quibus tamen ſuus inde conſtat ampliſſimus; non ſecus ac Moyſi, cui

etſi oculis non cerneret, fulgore illuſtrata facies mirificè collucebat. Id vero fit Dei conceſſu ad tuendam animi demiſſionem, atque vitandam occultam arrogantiam, quæ & liberalem illis gratificandi Dei voluntatem inhibet, & eorum, quæ ab illis honeſtè, & præclarè ſuſcepta ſunt, laudi, dignitatíque moram interponit. Vt enim à gelidâ pruinâ, quâ ſemina terræ mandata concreſcunt, intereunt beſtiolæ, quarum morſu exeſis ſtirpibus, minor multò eſſet futura meſſis: ità iſto frigore, quod pij alioquin homines ſentiunt, extinguitur ſuperbia interior, tollitúrque mora omnis progrediendi in virtute, ſeque cumulandi magnis rerum præclarè geſtarum opibus.

4. Accedit eôdem excitari magis progreſſionis ſtudium, cùm quis ignarus quo ſit ſtatu, putat ſe vix dum è carceribus exiiſſe. Cũ ſidus illud quo Magi Bethleemum ducebantur occultatum fuiſſet, tùm perquiſitus eſt abillis diligentius locus, in quo natus eſſet is, quem venerari ſtatuerant.

5. Verendum tantùm in hac parte, ne

ne incurratur in fraudem quam hîc molitur Stygius perduellis, incidit iſte in hominem, qui hoc animo retur, nihil ſe Dei cultu aſſequi, confirmat rem ità ſe habere, operam, ac tempus ab eo perdi, ipſum regredi cancrorum ritu, actiones illius omnes errata eſſe, ac lapſus, ſacrarum epularum vſurpationem, ſui introſpectionem, lectionem librorum, & alia eiuſmodi argumenta eſſe amoris proprij, turpe videri, ac indignum Deũ excellentem adeò, & bonum tam ſegniter coli, nihil ab illo mercedis expectandum, ſed ſupplicium, quod breui ſit inhibendum illis à Numine &c. Conatur hiſce inſidiis nefarius iſte prædo animum deterrere à propoſito, ægritudine afficere, adducere ad diffidentiam, ac tandem, quo ad poteſt, ad Dei, diuinique cultûs contemptum, cúmque ad ſenſuum voluptates ſummo pietatis & detrimento, & probro reuocare. His igitur cogitationibus reſiſtendum forti ani-
Pſ. 75. 3. mo, atque ex eâ caligine, quam menti obducunt, non aliunde, quam à Cacodæmonis afflatu eas oriri exi-
ſtiman

ſtimandum. Etenim tranquillitas mentis cùm ſedes ſit in quâ Deus ipſe conquieſcat, cúmque perturbatio iſta omnis, dubitatio, ſpei abiectio non aliò ſpectent, quàm vt illam ex animo depellant, nullus eſſe debet dubitandi locus, quin ab hoſte nefario manent, qui hoc vnum molitur, vt bello, quod aduersùs Deum gerit, nos perimat omnino, ac deleat.

CAPVT XXVII.

Continuatio eiuſdem confutationis.

1. QVartum eorum, quæ ad propoſitam excuſationem confutandam pertinent, eſt, vt conſtituatur aliquid certò an profecerit quis, nec ne in viſendo S. Sacramento; hinc eſſe notanda puncta veri progreſsûs, inde moderatoris conſilio comparandum ſtatum, qui nunc eſt, non cum heſterno, aut, qui erat nudius tertius, ſed cum eo, qui ante ſex menſes, aut annum integrum

fuit, alioquin vt falleretur olitor, qui herbis, ac ſtirpibus irrigatis veſperi, putaret perendie eas nullo modo accreuiſſe: Ita verendum foret, ne iſte deciperetur, ſi ſecùs ageret, ac falſi quidpiam colligeret cum abiectione animi, ſuóque detrimento.

2. Puncta autem, & indicia progreſſionis hæc ſunt. Habere conſtitutum mori potiùs, quàm facinus vllum mortiferum patrare. Nullâ affici voluptate noxæ leuioris, nullámue committere deditâ operâ, atque ex delicti conſcientiâ. Culpas confiteri ſine ſimulatione vllâ, ſine molli in ſeipſum indulgentiâ, non ſibi aſſentando: verè tamen, ac cum dolore ſemper, & emendatione ſui conſtitutâ. Accedere ad diuinam Synaxim religioſo animo, ac amãti, nec non ex conſilio recto, atque cum attentâ rei gerendæ cogitatione. Deum mente complecti ſæpiùs, ipſius honori augendo ſtudere, eo affici. Cùm ex ſententiâ res fluxerint, ei gratias agere, cùm ſecùs, Numen colere, réſque aduerſas æqui bonique conſulere.

ſulere. Chriſtum amore proſequi, atque in eam curam incumbere, quâ prece, quâ morum imitatione, vt fructus eorum quæ præclarè geſſit, & quibus ſalus noſtra continetur, ad nos ipſos traducatur. Alios amare fraternè, detrahere de nemine, nullum de vllo iudicium iniquum ferre, ignoſcere in Dei gratiam. In rebus agendis Dei ſpectare potiùs, quàm hominum ſenſum. In ſermone vitare mendacium, aucupationem gloriæ, obloquutionem, iracundiam, &c. cupiditatem coercere.

5. Si ergo mens ſui conſcia iudicet de moderatoris ſententiâ factam fuiſſe progreſſionem in virtute, ſtet ſuo iudicio. Neque enim præſtat ſemper abiicere ſeſe, ac ducere ſuas res eſſe deteriore ſtatu. Excitandus ſibi animus, ac demiſsè quod boni geſſimus, agnoſcendum, vt grates habeamus authori Deo. Quare cùm animi quis pendet, quòd progreſſionem ſui perſpectam non habeat, velim ſuffragetur pro ſe citiùs, quàm ſibi aduerſetur, hac præſertim ratione adductus, quòd vt per Arcam illam

fœderis non ſemper efficiebantur res mirabiles palam, & in omnium conſpectu, ac ſtatim atque aliquò importata eſſet, ſed tempore, ac ſenſim ſine ſenſu, quemadmodum in vrbis Hierichuntis euerſione contigit. Ità quæ per hoc mirabile Sacramentum mirificè fiunt, non extent repentè, & in oculis omnium, ſed clam, & occultè, ac ratione adeò à ſenſibus remotâ, vt vel illius, qui fructum percipit, obtutum, cognitionémque fugiat. Progredi nolle eſt regredi, & quandiu perſtat quis in propoſito recto, fertúrque in bonum per odium mali, nequicquam angitur ratus à virtute deflexiſſe. Quòd ſi ſecus interdum opinemur, id vitio noſtro tribuendum eſt, qui de imbecillitate noſtrâ perperam iudicemus, culpiſque magis moueamur, quàm progreſſione; vt vſuuenire ſolet contrahi magis animum moleſtiâ, quam afferunt viſa triſtia, quàm exultare lætitiâ captâ è rebus iucundis.

4. Quod ſi contrà tenetur conſtrictus conſcientiâ ſui regreſſûs, ſi id

con

confirment crebri lapſus, quippe qui ſentiat imbecilliorem ſe eſſe in pugnâ, in precatione languidiorem, in perſcrutandis actionibus ſuis negligentiorem, diſſolutum magis in agendo, ac effuſum, multa denique peccaſſe in illa capita, quæ ſuprà notata ſunt, in ſeipſum ferat ipſe ſententiam, & demiſsè confeſſus ſtatuat recipere ſeſe ad meliorem frugem Dei gratiâ; deinde hoc propoſito redeat ad inſtitutum maiori, quàm anteà feruore: Enimuerò magnæ foret imprudentiæ ſecuri detractâ, vt aiunt, manubrium abiicere, ſtupidique ac ſtolidi ingenij cùm lapſus fueris, nolle ſurgere; ſuſceptum opus bonum non dimittendum vnquam, quoad illius perficiundi ſpes eſt.

5. Cùm verſamur in terris, gratiæ ſtatus motum poſtulat à nobis ſine quiete: In cœlo quiete perfruemur ſine motu. Cherubini illi myſtici, qui apud Ezechielem currum Dei *Ezech.* 1. triumphalem comitabantur, ſuis in 10. inſignibus præferebant leonis tauri, & aquilæ capita; credo, quia leo per-

fert generoſè, ac conſtanter aduerſariorum impetus; Taurus, quò magis eſt labore feſſus, eò pleniori, firmiorique gradu ingreditur; Aquilis acies oculorum ſplédore Solis minimè perſtringitur. Idem nobis pariter agendum eſt, atque in ſuſcepto conſilio permanendum.

CAPVT XXVIII.

De tribus, quæ peccare quis poteſt in hoc viſitatiois munere obeundo; ac primùm de interiore irreuerentiâ.

1. QVoniam, vt plurimùm, ea, quæ gerimus, non Dei, & Sanctorum opinione, ſed amore noſtri metimur, ſæpiſſimè fit, vt errata nos fugiant, & fructum, qui poſſet inde capi, per inſcientiam noſtram amittamus. Vnum de illis eſt irreuerentia interior, quæ ex eo oritur, quòd munus iſtud obeatur ritu quodam vulgari, animo huc & illuc vagante, diſtento negotiis terrenis,

ac permultis curis, ſolicitudinibúſque diſtricto, adeo, vt ſermo quidem conferri cum Deo videatur, ſed peregrinentur ipſæ aures cum mente; genua flexa ſint ad ſacrum Altare, cor volitet totâ vrbe; corpus in Templo aſſiſtat, mens erret in foro paſſim, & latè in agro; os loquatur, obmuteſcat animus. Profectò cum eiuſmodi hominibus ſua dona non communicat Deus.

2. Moyſen, cùm ad rubum illum ardentem accerſiuit, iuſſit, antequàm accederet, poni calceos; cùm autem ad montis verticem euocauit ad ſui colloquium, congreſsúmque, præter ſolitudinem, magnâ illum, & obſcurâ nube circumfudit, illius vt animum attentiorem teneret. Eôdem pertinet illud Oſeæ, vt ſibi ſit cum homine liber, & apertus ſermo, velle eum ad locum deſertum recipi, hoc eſt ad ſtatũ maioris reuerentiæ, attentioníſque; aut certè ab eo operam dari, vt ſi quo diſtrahatur animus, id ſponte non fiat, ſed præter voluntatem.

Exod. 3. 5.

Ibid. 24. ap. 6.

Oſeæ. 2. 14.

3. Etenim ſi cogitatio, quæ rationi

non benè obtemperat, aut cacodæmon, qui nobis perniciem vſque vigil molitur, variis viſis, ſignatiſque ſpeciebus animum diſtraxerit, nobis inuitis, & conati fuerimus nos ipſos colligere, tantùm abeſt, vt id nobis culpæ futurum ſit, vt potiùs magnæ laudi vertendum. Neque his perturbari quiſquam debet vllo modo, ſed magno animo, & excelſo inſtar *Gen. 15. 11.* Abrahami aues illas imaginum, quæ obiiciuntur extrinſecùs, manu vnâ depellere, alterâ perficere ſacrificium, atque ad exitum cœptum opus perducere. Cœlitum eſt, & eorum, qui vitam cœleſtem in terris agunt, ab eiuſmodi perturbationibus vacuos omnino eſſe, ac liberos. Et verò horum numerus exiguus eſt admodùm; cùm perpauci ſint, qui non fateantur cùm Dauide, mentem ſuam, quæ ad precandum ingreſſa ſit attentè, ſecedere quodammodò in precatione mediâ, & aliò contrà ac ipſi velint, abſtrahi, ore ſolo verba fundente; verùm ignoſcit facilè Deus, ait S. *Baſ. conſt. Monarchi cap. 2.* Baſilius, quoniam ſi tùm illi, vt decet, non aſſiſtitur, id imbecillitati potiùs

potiùs quàm negligentiæ tribuitur, & ſi reipsâ deſit attentio, vis illius non deſideratur ob inſtitutam initio precem. Demum feruor animi, & attentio perpetua ſine intermiſſione, cùm ad Deum acceditur, ſuperat naturæ vires, niſi præſtò ſit Deus auxilio quodam extraordinario.

4. Ex quo certè datur occaſio prouidendi nobis, vt nos inertia non occupet. Næ fortunatus eſſet is, qui veſtigiis conſequi poſſet S. Adelhardũ cum Carolo Magno cognatione coniunctum, quo de commemorat Paſchaſius, cùm ad S. Sacramentum adiret, eum in ſe ità colligere ſolitum ſeſe, vt Deo, ſibíque ſtuderet, vt vultu ad reuerentiam compoſito præ ſe ferret ſpeciem hominis, cui viſum quoddam rei auguſtioris imaginem obiiceret. *Sur. 2. Ian*

5. Qui diuino cultui, atque huic venerationi infenſus eſt, & inimicus Dæmon, is vt animos ab officio iſto auocet, hanc illis interdum cogitationem iniicit, hoſtiam fortè ſacram non eſſe, periculúmque adiri falſi cultûs ei ſi tribuatur tantus honor,

Hoſti nefario, quâ vi perturbemur, modò percellamur, minùs eſt penſi. Abutitur facilitate iſtorum hominum. Quibus hæ cogitationes ſpernendæ ſunt, atque hoc refellendæ argumento; in cultu non ſpectari rem, quæ in oculos incurrit, ſed, quam mens ipſa complectitur; quare licèt pani, qui hominis malâ fraude non foret ſacer, ac proinde Chriſti inanis eſſet, honorem tribuerent, quoniam tamen non panem, quem oculis cernerent, ſed ad perſonam diuinam, quæ menti obuerſaretur, ſuum iſtum cultum referrent, certum eſſe ipſos non modo abfore à vanæ ſuperſtitionis culpâ omni, ſed religionis munere defuncturos piè, atque inde non Dei odium ſed gratiam, & laudem illis accerſitum iri. Darij Matre, ac cóiuge ad Epheſtionis pedes abiectis, ratis id ſe honoris Alexandro deferre, Princeps ille victoriæ inſignibus illuſtris, qui non erat neſcius ad ſe iſtum honorem referri, illum acceptum tulit. Qui ad Cæſaris ſtatuam genua flecteret putans eam eſſe Regis imaginem, id ei Rex crimini

Q. Curt. l. 3. de geſt. Alex.

non

non verteret. Deus pariter, qui hominum animos penitùs pernoſcit, ſuperſtitioni non duceret, quod noſſet ſuſceptum eſſe ſui honorandi causâ, atque animo à falſo cultu longè alieno.

CAPVT XXIX.

Erratum alterum, irreuerentia corporis.

1. ALiud eſt in hac parte vitioſum admodùm, & ſanè nimio iam Chriſtianorum vſu tritum, irreuerentia, quæ exiſtit extrinſecùs. Videas, qui ſacris in ædibus habitu ſint adeò malè ad reuerentiam compoſito, vt ſpecies ipſa externa corporis certum indicium ſit animi cum oris ſermone minimè conſentientis. cogitatio rerum terrenarum, quibus dediti ſunt, mentem abſtrahit: cœleſtium verò, atque æternarum obliuio, eò ſtupiditatis illos adducit; ſic ſtupidus ille, & bardus, vt eſt in parabolâ de conuiuio nuptiali, præter-

quam epulas, & honorem epuli nihil cogitans, nec prouidens Regem adfore, ipſum conclaue ingreſſus eſt incultus, & inornatus, ac ſine veſte nuptiali. quod Regi adeò diſplicuit, illum vt eiiciendum curauerit ad temeritatis ſuæ, ac impudentiæ ſubeundam pœnam.

2. Panibus illis Propoſitionis adumbratus fuit Cibus iſte diuinus. Extabat certum Dei mandatum, thus, vt purum, & fulgens, non admixtum, & concretum ſuper menſam vſque apponeretur; Quo monemur de non adeundo ad Auguſtiſſimum Sacramentum niſi cum aliquâ diuini myſterij meditatione quæ amoris flammam ſuſceptura ſit, atque ſancti exempli ſuauiſſimos odores iis omnibus, qui adfuerint, afflatura. Arcam fœderis, quæ huiuſce Sacramenti erat adumbrata quædam effigies, perinde venerabantur Iſraëlitæ, ac ſi Deo coram adſtitiſſent. Manna mirabilem illam, ac ſuauiſſimam eſcam, cùm primùm videre cœperunt Hebræi, eâque veſci, illam fecere maximi, & ſtudio

Aug. in Pſ. 98.

Exod. 16. 17.

Num. 21. 5.

dio attento colligere: at poſtquam hoc cibo & videndo, & edendo aſſueuerunt, repetierúntque memoriam offæ, & carnis Ægyptiæ, contempſere, ac pro nihilo duxere. Idem propemodùm Chriſtianis hominibus vſuuenire ſolet quibus terrenæ deliciæ ſunt cordi, cæleſtes animo prorſus exciderunt. A primo fortè panem illum diuinum religiosè venerati ſunt: at vſus crebrior faſtidium attulit, faſtidio ſenſus omnis pietatis hebeſcit.

3. Enimuerò fouet plurimùm hanc religionis negligentiam Cacodæmonis inuidia. Is enim cùm intelligat in pœnam ſuperbiæ inuſtas ſibi à Deo notas ignominiæ ſempiternæ, irâ furens, & odio conatur illum quo ad poteſt, probro, ac dedecore afficere. Id efficiebat olim per falſorum Deorum ſuperſtitionem, quâ expulsâ, exterminatáque triumpho Crucis, ſuam ille fraudem, nefarióſque conatus conuertit aliò, ac in vanæ ſuperſtitionis locum hæreſes ſubſtituit, acriori impetu in id incurrens quod

nouis

nouit Deo eſſe honori præcipuo. Atque vt Euchariſtiæ ſacrificio, & Sacramento honoratur quàm maximè Diuinum Numẽ, ità ex eo præſertim ſtudet illi probrum accerſere. Quod ſi fidem eripere non potuit: at certè pergit ſcrupulos, dubitationéſque de hoc Myſterio animis iniicere, eóſque pro virili parte, cùm ſacris interſunt, abſtrahere. Atque id cauſæ eſt maximâ ex parte, cur tanta rebus diuinis negligentia adhibeatur.

Chryſoſt. hom. 1. in verb. Iſ.

4. Iam à S. Chryſoſtomi ætate huiuſmodi negligentiæ inſimulabantur Chriſtianorum aliqui. Ex quo ſancto ardore inflammatus, ac expoſtulandi grauiter occaſione arreptâ. *O te miſerum*, inquit, *& infelicem! Oportebat te cum tremore ac reuerẽtia Angelicam glorificationem reſonare, cumque terrore confeſſionem reddere conditori, ac per hanc delictorum veniam poſtulare: tu verò mimorum & ſaltatorum mores huc inducis, dum indecenter manus iactas, pedibus ſubſultas, &c. Et quî fit, vt non metuas, neque horreſcas hæc audens aduerſus talia eloqui? Non cogitas ipſum hîc inuiſibiliter adeſſe Dominum, qui vniuſcuiúſque*

motum

motum metitur, & conſcientiæ rationem habet? Non cogitas quod Angeli huic ſtupendæ aſſiſtunt Menſæ, cúmque reuerentia hanc circumuallant? Deinde alio loco. *Cum acceſſuri eſtis ad tremendam diuinámque illam Menſam, & ſacra Myſteria, cum timore ac tremore hoc facite: non tumultuantes, non calcitrantes, non proximum impellentes, &c Deo te ad ſuammet Menſam vocante, Filiúmque ſuum ibi apponente, vbi Angelicæ poteſtates adſiſtunt cum timore & tremore: vbi Cherubim velant facies ſuas, atque Seraphini cum tremore clamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus; tu audes vociferando ac tumultuando ad ſpirituale illud conuiuium accedere.* Paulò poſt vero traductâ ad preces reprehenſione, allatíſque argumentis, quibus iſta veneratio perſuaderi poſſit. *Ne, ne rogo vos atque obteſtor, diuinam in nos iram concitemus: medicamentum eſt id quod proponitur vulnerum noſtrorum ſalutare, diuitiæ indeſinentes, quæ cælorum nobis Regnum conciliant. Cum honore itaque accedamus, gratias agamus, procumbamus confitentes peccata noſtra; lachrymemur mala noſtra lugentes; intentæ*

Idem in ſeruat. diem natalem ſerm. 32.

tentas ac largas preces Deo fundamus, ſicque nos ipſos emundantes, taciiè, & cum debita modeſtia tanquam ad Cælorum Regem adeuntes accedamus.

V. Narrat idem Chryſoſtomus ſe è venerando ſene accepiſſe viſos ad Aras, cum res diuina fieret, Cœlites benè multos, qui mirificâ luce circumfuſi, belléque ad cultum compoſiti inflecterent ſeſe ad Auguſtiſſimum Sacramentum, perinde ac prætereunte Imp. milites. Sic autem loquitur; *Locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt: id quod credere abundè licet, vel ex tanto illo ſacrificio, quod tunc peragitur. Ego verò & commemorantem quendam audiui, cum diceret ſenem quendam, virum admirabilem, ac cui reuelationum myſteria multa diuinitus fuiſſent detecta, ſibi narraſſe tali olim viſione dignum habitum fuiſſe; ac per illud quidem tempus de repente Angelorum multitudinem conſpexiſſe fulgentibus veſtibus indutorum Altare ipſum circumdantium: deníque ſic capite inclinatorum, vt ſi quis milites præſente Rege ſtantes videat.* Extant complura ſimilia exempla litteris

Lib. 6. de Sacerd.

litteris mandata à viris ſanctis. Ex quo ſanè conficitur, niſi ſumus mente capti, cùm hoc Sacramentum tam ſanctè, támque religioſè colant ipſi Cœlites, non poſſe in grauis culpæ reprehenſionem non incurrere eum, qui aliter coram ſe geſſerit. Nam venerantur etiam illud ipſi Cacodæmones metu perculſi, vt viſum ſæpiùs in Energumenis.

6. Eccleſiaſticis Annalibus conſignatum de Theodoſio Imp. habetur, ſtomachatum illum aliquando fuiſſe cum Amphilochio Iconij Antiſtite, quòd patre conſalutato perhonorificè, viſus eſſet Arcadium filium, quem vocatum in Imperij ſocietatem recēti honore ipſe auxiſſet, licet præſentem prætermittere. Verùm non ſpernēdi animo id factum fuit à viro ſancto, ſed docēdi, quàm moleſtè laturus eſſet illos Deus, qui vt Arriani, Filium ſuum contemnerent; ſi ergo filij ſui contemptus Patri Æterno iuſta cauſa fuit, cur in Hæreticos animo eſſet auerſo: an feret Catholicos eos, qui eumdem ſuper aras conſidentem tam inhoneſtè, & illiberaliter habent? ſi enim

Idem Chryſ. hom. 45. in Ioan. & 61. ad pop. S. Greg. l. 4. dial. c. 58. Paſch. de corpor. & ſang. Dom. c. 8. Nil. ad Anaſt. Epiſc. Ruff. l. 2. de vitis PP. c. 29. Nicep. lib. 12. cap. 9.

2. *Reg* 6. 7. 1. *Reg.* 6. 19. enim in Ozam,& Bethſamitas, quòd Arcam minùs ſanctè venerati fuiſſent, tam ſeuerè animaduertit; ſi ſacrarum ædium violatores; ſi qui ſanctæ Crucis monumenta, proiectâ audaciâ diſturbarunt, ac ſanctas imagines comminutas diſſiparunt, grauiter vltus eſt, ac perſecutus; an illatam Filio ſuo iniuriam inultam, impunitámque dimittet? Idne diſſimulabit iuſtitia, quæ in partem huiuſce operis, quod amore perfectum eſt, venit eò peculiari conſilio, vt in illo, tanquam in præclaro ſolio, ac ſede Regiâ, honoribus iis,ac officiis, quibus compenſanda forent probra, conuitia,dedecora, quæ toto vitæ tempore pertuliſſet, eſſetque ſubiturus, præſertim extremo die, cùm agendus eſſet in crucem, turpe illud patibulum ſupremo ſupplicio, atque ignominiæ deſtinandum,afficeretur à Cœlitibus, & hominibus, ſicque futurum eſſet, vt pro illatâ à priſcâ Synagogâ iniuriâ,ipſi reponeret Eccleſia,ac Iudæorum conuitiis detractum honorem, Chriſtiani piè, ac religiosè reſtituerent.

7. Quòd

7. Quòd autem hoc officij à nobis ille poſtulet, indicio eſt, ad illud Sacramentum inſtituendum non delectum fuiſſe ſtabulum, vt in ortu, ſed aulam ornatam, & inſtructam; deinde verò ſancto quodam afflatu inductam Eccleſiam ad celebrandam myſterij memoriam eo apparatu, eâque magnificentiâ, quæ præclarum ſenſibus ſpectaculum præbens ſanctum animis metum iniiceret, religioníſque ſtudium; hinc duxit originem S. Auguſtino teſte, peruetus illa Chriſtianorum appellatio, cùm ab Ethnicis Cereris ac Bacchi cultores dicerentur. *Aug. l. 26. contrà Fauſtum c. 3.*

8. Præthereà cùm corpus, quod hîc colitur, è S. Virginis naturâ primùm fictum ſit, nec illam amiſerit vnquam, conſequens, eſt eamdem inibi retineri; quod certè conſentaneum eſt huic Auguſtini effato. *De carne Mariæ carnem accepit: & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit*; atque huic Petri Damiani. *Illud*, inquit, *Corpus Chriſti, quod Beatiſſima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod faſciis cinxit, quod maternâ curâ nutriuit, illud, inquam* *Idem in Pſ. 98.* *Pet. Damiab. ſer. de Natali B. Virg.*

inquam, abſque vllâ dubietate, non aliud nunc de ſacro altari percipimus, & eius ſanguinem haurimus &c. Quare præter rationem illam præcipuam ductam à Chriſti præſentiâ in ſacrâ Hoſtiâ, adducit nos etiam ad illò non adeundum, niſi habitu modeſtè compoſito, hæc altera præſertim, ibidem extare Reginæ Cœlitum, & hominum pretioſiſſimas, quæ in terris haberi poſſint, reliquias. Si enim Helenæ Conſtantini Parenti; ſi Pulcheriæ Marciani Imperatoris coniugi; ſi Leoni, & Carolo M. etiam Imperatoribus; ſi aliis multis Chriſtianis Monarchis, ſi omnibus Chriſto addictis viſa ſunt Deiparæ veſtimenta, & horum fruſta magnam habere religionem; ſi Dæmones horum conſpectum perhorruere vim diuinam profeſſi; ſi vel illius nomen ſemper illis formidini fuit, nobis autem venerationi, quam à nobis adhiberi modeſtiam oportet, quibus in hoc Sacramento Mariæ natura proponitur?

Onuphr. l. de 7. Eccl. Niceph. l. 15 c. 14 Phil. Bergo. lib. 10. ſupp. Chron. Greg Tur. l. 1. de glor. Mar. cap. 10. Germ. Conſt de ador. 20. na Deip. apud Surium 31. Aug.

9. O præſtantiſſimum igitur, auguſtiſſimúmque Myſterium! ô verè digniſſimum, quod ſummis honoribus ornetur

ornetur, cum quo ipſa Diuinitas ſapientiâ.ac vi infinitè præpotenti ita coniuncta eſt, vt licet poneretur non eſſe vbique locorum,hîc tamen foret præſtò corpus,& ſanguinem Redemptoris comitata:in quo natura Chriſti humana re peræquè verâ, ac in Cœlo Patri aſſidet, per ipſa verba ſacra conſtituitur; in quo denique ſanctiſſimæ Parentis conſidet natura eadem,quam in ipſius aluo accepit,cùm illam abs ſe nunquam dimiſerit.

10. Qui ergo ad Hoſtiam tam multis nominibus honore, ac veneratione omni dignam accederet incultè, ac religionis officio prætermiſſo, Nonne is culpam admitteret nullo modo ferendam in Chriſtiano, qui hanc veritatem profitetur, agnoſcitque in hoc ſacro Pane veri Ioſephi viuentem manipulum, cui non ex hominis ſomnio, ſed ex ipſius Dei conſilio debeatur honor?Proh Deum immortalem!abſit à nobis iſtud culpæ, imo abiecti ad Aras Dominum ibi ſummâ religione colamus, qui nos primùm finxit, dein inſtaurauit, per quem effecti ſumus, poſt à ſerui-

tate

tate vindicati. *Quia ipſe eſt Dominus Deus noſter: nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.* Quod ſi Hæretici elati, & opinione ſui inflati, ſi homines impij effrænatâ audaciâ cultum, ac religionem irrideant, non pluris illos faciamus, quàm Micholem illam arrogantem ſterilitate naturæ idcircò mulctatam Dauid magnâ animi demiſſione ad Arcam ſubſiliens: hoc illos reſponſo percellamus, ducere honori maximo abiici magis, ac magis, demittique in Dei conſpectu, quem habemus in ſacrâ Hoſtiâ præſentem, velle nos nobis ipſis videri humillimos, illi vt videamur magni; atque ex ipſius laude probrum nobis accerſitur, ità ex ipſorum opprobrio laudem nos eſſe conſecuturos cum illorum impietati noſtra religio, conuitiis laudatio, violationi cultus, ac veneratio oppoſita fuerit.

CAPVT

CAPVT XXX.

Erratum Tertium, Pietas inordinata.

1. Pietas, quæ abeſt à regulâ, tertium eſt culpæ genus; Etenim cùm ſuauitas illa, quam habet adiunctam, ſit melle iucundior iis qui eam deguſtant, euenit interdum, eâ vt abutantur imprudentiores, ac capti dulcedine nimio vſu dammum ſibi maximum accerſant. Sponſam cùm facer Sponſus in cellam introducit, dat in primis operam moderando, ac dirigendo amori. Cùm enim affectionum prima ſit, cuius impetum cæteræ ſequantur, ſi aberret imprudentiâ, error ad alias etiam pertinet. Cacodæmon, vt huiuſce rei non eſt ignarus, hanc animi affectionem inſidiis, & fraude ſubtilius aggreditur. Quare, quibus eſt rerum earum, quæ ad vitam interiorem ſpectant ſciëntia, iis nihil eſt ſuſpectum magis, quàm amoris ſenſus, at licet illi honeſta res, & laudabilis obiecta Cani 2.4.

ſit

5. Alij hac voluptate capti prodierunt habitu inculto, & malè compoſito; viſi ſunt vultum commutare ineptè, ſuſpiria abſurdè ducere, pectus tundere ridiculè, lachrymis ſe dedere, perinde ac ſi oculos comprimerent, geſtus alios inimicos agere, in quos bellè cadit illud Tertulliani. *Quid ampliùs referent iſti, qui clariùs adorant, niſi quòd proximis obſtrepunt?* Siſoyus Abbas in priſcis Anachoretis celeberrimus has pietatis ineptias inſimulans veniam à viro Religioſo petiit, quòd preces fundens ardentiùs ſuſpiraſſet maiori cum ſtrepitu; Quoties verò à feruore precum manus altiùs, quàm ſolitus eſſet attollebat, eas demittebat illicò, non modò ne quid ſingulare, & eximium præſe ferret, ſed etiam vt fratrum attentioni non officeret. Pietatis magnifica oſtentatio argumento eſt illam animo non inſidere. S. Ambroſius coarguit eos, qui in precatione publicâ quâ tuſſiendo, quâ excreando nimiùm perſtrepunt, indicátque ſatis apertè ſemigrandum eſſe tantiſper iis, qui ſe continere non poſſunt

Tertul. de orat. c. 13.

Pallad. Cauſ. cap. 20. n. 19.

Ambr. l. 3. de Virg.

allato Presbyteri ſancti egregio facto, qui inter precandum palam in populi concione cùm negotiùm illi faceſſeret ranarum ſtrepitus in palude ad ſacras ædes coaxantium, ſilentium illis Dei nomine impoſuit, eáſque compeſcuit; ſubiicit autem. *Silent igitur paludes, homines non ſilebunt? Et irrationale animal per reuerentiam recognoſcit, quod per naturam ignorat: hominum tantam eſſe immodeſtiam vt plerique deferre neſciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati.*

Ambr. l. 3. de Virg.

Quid in iſtos pietatis oſtentatores non dixiſſet vir ſanctus, cum in tuſſim, & excreationem, quæ plerumque nobis imprudentibus, & inuitis erumpit, adeo vehementer declamauit? S. Bonauentura numerabat etiam in vitiis labrorum ſibilantium motum, aſſerebátque preces ſic fuſas in publico aliis eſſe impedimento, &, cùm ſæpe frigidæ ſint, melioribus moram iniicere.

Bonau. Specul. Diſcip. Par. 1. cap. 15.

6. Hoc vitij oritur aliquando, non à voluntate, ſed ab ipſo mentis iudicio. Pietati plurimùm ineſſe boni

perſua

perſuaſiſſimum eſt; nemo non fatetur, cùm illa ſit veluti ros è Cœlo miſſus, quo ardens cupiditas deferueſcat, piorum deſideriorum origo, ſuauiſſimum vnguentum, quod ſanctarum affectionum odores afflet, denique Cœleſte donum, quo ad virtutum genus omne parati, & expediti ſimus; verùm hîc aberrat animus falsò perſuaſus pietatem vi comparandam eſſe, ac virium contentione; hinc contenduntur nerui omnes magno conatu; Ex quo euenit vim animi veluti extingui, facultatémque precandi exareſcere ſiccitate quâdam à contentionibus iſtiuſmodi oriri ſolitâ, caput obtũdi, langueſcere ſtomachum: interponit etiam ſeſe Cacodæmon vſus prauâ iſtâ habitudine, ac inducit alios ad deſiſtendũ de ſententiâ ſpe abiectâ: alios ad contentionem maiorem adhibendam, quaſi minor adhibita fuerit; Denique multa, eáque pernicioſa accidunt, quibus non modò hæc ſancta exercitatio impeditur: ſed etiam vis omnis, quam poſtulat virtutis, pietatíſque ſolidæ ſtudium, debilitata concidit.

commoda honeſta,& iuſta, obliuiſci, eâque bona, quæ ex lege charitatis procuranda nobis ſunt, vti hac diuinæ præſentiæ nobis oblatæ opportunitate, atque huiuſce peregrinationis tempore, in Sacrarium, in quo reſidet, ſæpe ad illum adire.

2. Illò non tam difficilis eſt acceſſus, quàm Suſas ad Aſſuerum in ſolio conſidentem. Habentur illic omnes liberaliſſimè, dummodo illos indignos non reddant ſcelera ſua, non accedant animo diffidenti, aut mortiferâ quâdam cupiditate implicato.

3. Corpore adeſſe etiam oportet, at habitu demiſſo, ac modeſto, capite in partem aduerſam modicè vergente, fixis oculis, non errantibus, manibus inter ſe iunctis, aut ſuper pectus decuſſatis, flexis genibus.

4. Tempus Matutinum, pomeridianum, ac veſpertinum videtur huic exercitationi quotidie opportuniſſimum; ſatis erit dimidium quartæ partis horæ, vel etiam minus ſpatium impendere, modo non auocetur ani-

mus aliò, ſeque totam voluntas applicet.

5. Præſtabit habere aliquid in promptu, quod agas, cùm ad Altare accedes. Quare erit operæ pretium actiones aliquot certo numero paratas eſſe, ex quo veluti fundo quodam ſuppetat ea, quæ tempori, & opportunitati magis congruere videbitur.

6. In his actionibus aliæ erunt vſitatæ, & communes, peculiares aliæ, & præcipuæ, fiéntque ſingulæ vel voce ipſà, vel mente. Qui enim viſendo Sacramentum è tradita à Chriſto formulâ precatus fuerit quinquies, quinquies ritu Eccleſiæ, Beatam Virginem conſalutauerit, aut Pſalmi quidpiam cecinerit, vel aliud eiuſmodi orando fuderit recto animi propoſito, is videbitur ſatis commodè hoc defunctus eſſe munere.

7. Quæ mente fiunt generatim ad iſta capita reuocantur, Benedictiones, petitiones, gratiarum actiones.

8. Benedictionum argumenta eò ampliora ſuppeditabit Auguſtum Sacramentum,

cramentum, quò præſtantiora ſunt ea, quæ continet, Diuinitas cum omnibus naturæ ſuæ dotibus, Perſonæ tres cum proprietatibus notionalibus, Humanitas Verbi ſanctiſſima cum gloriâ corporis, animæ præſtantia, ſatiſfactionum, ac meritorum theſauro infinito

9. Petitiones ducentur tum ex indigentiâ noſtrâ; tum eorum qui nobis chari ſunt ſeu charitatis nudo nomine, ſeu neceſſitudinis vinculo arctiori, cum iis, quos ſuperiores habemus, aut ſocios, aut nobis aliquo modo commiſſos.

10. Ad gratiarum actionem alliciet nos ſacræ Hoſtiæ præſentia, cum ipſa ſit donum omnium iucundiſſimum, ac reipſâ adeò eximium, & regale, nihil vt pretioſius præbere præpotens ipſe Deus poſſit; præterea cæterorum beneficiorum, quæ à Deo in nos profecta extant, immenſitas cogitatione omni maior, poteſt, vel hebetes quóſque ad hoc grati animi officium excitare.

11. In actionibus peculiaribus Communio, quæ ſpiritu fit, non modo

rectè vtimur occaſionibus, quas ſecundæ res, & aduerſæ, quæ, quandiu hîc viuitur, non deſunt, nobis benè multas offerunt.

15. His omnibus conueniet plurimùm capita ſuperiora perlegere, quibus eorum, quæ hîc ſummatim dicta ſunt ratio peculiaris continetur explicata fuſiùs. At nemo ſibi tantùm ſumat, & arroget, vt rectum horum vſum ſe aſſecutum putet, ſi non habet perſpectam magnitudinem beneficij, quod à Deo, cùm ſuper Aras conſedit, in nos munificentiſſimè collatum eſt. Certum eſt nec à Cœlo proficiſci, nec è terrâ extare poſſe vllũ maius, ac illuſtrius. Nobis eſt præſidio, ſi oppugnamur; ſolatio ſi affligimur; medicamento, ſi ægrotamus; alimento, ſi eſurimus; ſi iter habemus, dux eſt itineris; ſi pugnamus, ſcutum; ſi vincimus, corona; ſi triumphum agimus, ipſe eſt trophæum. Verùm, cur orationem produco longius? Nobis eſt omnia, quippe qui Deus ſuæ beneficentiæ muneribus nos ampliſſimè cumulans. Heus tu, Chriſtiane, ſi iſta penitus pernoueris

quàm eris ſolerti animo ad iſtud exercitationis intelligendum, quàm ad id commodè, ac piè vſurpandum inflammato! Quàm magni facies habere, iam inde ab hoc tempore, de rebus tuis cum Deo, ac primis gloriæ floribus cum voluptate decerptis felicitatem deguſtare!

CAPVT XXXII.

Hæc pietatis exercitatio confirmatur exemplis.

1. BEata Iuliana Virgo fuit nata Leodij, atque ab ineunte ætate ſummo Sanctiſſimi Sacramenti ſtudio incêſa. Ea iam prouectior, cùm pro more, inſtitutóque vitæ Cœnobicæ, quam profitebatur, duceretur ad ſacram ædem, ac ſeſe, dum Sacrum conficeretur quo ad ætatulæ facultas ferebat, ad ſenſus tanto ſacrificio dignos percipiendos compararet, repentè tantâ perfuſa eſt voluptate, vt ſui vix compos, hoc vnum intelligeret, nullas eſſe poſſe hominum delicias, quæ ad diuinas accederent. Ex

eo tempore nihil erat illi optatius, quàm ad Aras ſeſe ſiſtere? Quò fiebat, vt quantacúmque] occupatione diſtineretur, cùm primùm ad rem diuinam dari ſignum audiret, tenere ſe non poſſet, quin ſponſi ſui voluptati affluenti, & illabenti animum explicaret. Virginis pio conatu oble-ctatus Deus tanto eam amore complexus eſt, vt ipſi primæ omnium, quod ſcriptum extare ſciam, ſignificatum voluerit diem Auguſtiſſimæ Euchariſtiæ fore in Eccleſiâ feſtum, ac ſolemnem ipſámque vnam ex hominibus tantæ rei nuntiam, Quod euenit tandem, licet, vt erat ſingulari modeſtiâ, ac de ſe demiſſè ſentiebat, partes iſtas, vt pote maiores, & grauiores ſuo ſtatu, annos viginti, & amplius precibus aſſiduis conata ſit defugere, fuerintque in exequendo Dei mandato multa, eáque perdifficilia ſubeunda. Rem aggreſſa eſt primùm communicato negotio cum fœminis piis, ac Religionis voto obſtrictis; deinde viros doctos, & graues conſuluit, Ioannem Lauſanum in primis eximiâ morum probitate

uico, ac Roberto Regibus noſtris, S. Stephano Hungariæ Rege: eiúſque filio, perhibent Hiſtorici noctes integras ab illis conſumptas fuiſſe ad Auguſtum Sacramentum pia veneratione, & ſermonis de rebus grauioribus communicatione. *In eorum rebus geſtis.*

4. S. Franciſcus Xauerius iter habens quærebat ſibi diuerſorium proximè ſacram ædem, vbi ante ſanctum Sacramentum noctu remotus ab arbitris, Deo preces funderet. Malacæ in Sacrarium ſe recipiebat veſperi, dein nocte concubiâ ædem ingreſſus accidebat ad ſacrum pegma, atque hoc habitu corporis quo ad per vires liceret, Deum orabat: defeſſus verò procũbens ad gradus Altaris perſeuerabat in precibus ad primã lucem. *Turſell in eius vitâ, itémque Ribad.*

5. P. Petrum Fabrum vnum de S. Ignatij ſociis, cum multa pietatis deſideria vehementer tenebant, tum hoc maximè commorandi in eo loco vbi S. Euchariſtiam venerari poſſet. Cum aliquò proficiſceretur primo villæ cuiuſcumque aſpectu S. Sacramentum in illorum locorum ſacris ædibus aſſeruatum conſalutabat. *In eius vitâ l. 2. c. 3.*

6. Beato Franciſco de Borgia is erat pius animi ſenſus, vt illud viſeretur ſingulis diebus ſepties in honorem huius numeri,qui religione ſanguinis Chriſti effuſi ſepties conſecratus eſt; fieret qualibet viſitatione communio ſpiritualis in conſpectu Sanctorum qui eo die colerentur, & aliorum, qui fuiſſent in S. Euchariſtiam magis affecti, réſque eæ peterentur quibus eſſet opus.

Ribad. in eius vitâ.

7. Beatus Iacobus Saleſius de Societate noſtrâ Sacerdos,idémque Martyr cæſus Albenaci ab Hæreticis anno 1593. 7. Idus Februarij,præter alia in hoc Sacramento pietatis officia, non prætermittebat diem vllum quo illud viſeret. Equidé in maximis vitæ meæ bonis numero veniſſe me in conſuetudinem viri ſancti, qui ſua mecum communicarit ingenue, in quibus illud fuit, quod ſtatim memoraui; & hoc alterum, cùm accerſeretur ad atrium acturus cum homine extraneo, aut re confectâ in cubiculum rediret, aut per mediam domum iret, præteriretque ſecundum Odeum; quod ſpectabat ad Aram principem.

Odo Geſſus in eius vitâ cap. 5.

toties eum illò ingredi conſueuiſſe Dei ſalutandi causâ, ſicque vix vllam diei horam prætermitti ab eo, quin iſtud honoris officium inibi perſolueret.

8. In conſtituendis Monaſteriis S. Tereſiam hoc in primis afficiebat, quòd Chriſti honor augendus foret loco vno. Dolebat verò amentiam, ac impietatem Hæreticorum, qui ſacras ædes diſturbaſſent, quoniam, inquiebat, futurum eſſet, vt inibi Deus nec coleretur, nec viſeretur à Chriſtianis, quemadmodum ipſa optaret. *Ribera l. 4. vitæ ipſius c. 12.*

9. Beata Margareta Arbuzia, cuius eximia virtus mihi perſpecta fuit, harum viſitationum adeò ſtudioſa erat, vt Auguſtum Sacramentum propalã collocatum ante oculos proponi optaret. Quo adducta eſt ad conſtituendum certâ lege, vt quoque menſe daretur in conſpectum filiabus ſuis, quas tum ad crebram illius ſalutationem hortabatur. Cùm recondebatur, ſi licuiſſet, condidiſſet illud in ſinu. Adeo cupida erat illo perfruendi. Hinc diligentem dabat operam, ſa- *Ferragius l. 1. vitæ ipſius c. 5. & 15.*

mus aliò, ſeque totam voluntas applicet.

5. Præſtabit habere aliquid in promptu, quod agas, cùm ad Altare accedes. Quare erit operæ pretium actiones aliquot certo numero paratas eſſe, ex quo veluti fundo quodam ſuppetat ea, quæ tempori, & opportunitati magis congruere videbitur.

6. In his actionibus aliæ erunt vſitatæ, & communes, peculiares aliæ, & præcipuæ, fiéntque ſingulæ vel voce ipſâ, vel mente. Qui enim viſendo Sacramentum è tradita à Chriſto formulâ precatus fuerit quinquies, quinquies ritu Eccleſiæ, Beatam Virginem conſalutauerit, aut Pſalmi quidpiam cecinerit, vel aliud eiuſmodi orando fuderit recto animi propoſito, is videbitur ſatis commodè hoc defunctus eſſe munere.

7. Quæ mente fiunt generatim ad iſta capita reuocantur, Benedictiones, petitiones, gratiarum actiones.

8. Benedictionum argumenta eò ampliora ſuppeditabit Auguſtum Sacramentum,

cramentum, quò præſtantiora ſunt ea, quæ continet, Diuinitas cum omnibus naturæ ſuæ dotibus, Perſonæ tres cum proprietatibus notionalibus, Humanitas Verbi ſanctiſſima cum gloriâ corporis, animæ præſtantia, ſatiſfactionum, ac meritorum theſauro infinito

9. Petitiones ducentur tum ex indigentiâ noſtrâ; tum eorum qui nobis chari ſunt ſeu charitatis nudo nomine, ſeu neceſſitudinis vinculo arctiori, cum iis, quos ſuperiores habemus, aut ſocios, aut nobis aliquo modo commiſſos.

10. Ad gratiarum actionem alliciet nos ſacræ Hoſtiæ præſentia, cum ipſa ſit donum omnium iucundiſſimum, ac reipſâ adeò eximium, & regale, nihil vt pretioſius præbere præpotens ipſe Deus poſſit; præterea cæterorum beneficiorum, quæ à Deo in nos profecta extant, immenſitas cogitatione omni maior, poteſt, vel hebetes quóſque ad hoc grati animi officium excitare.

11. In actionibus peculiaribus Communio, quæ ſpiritu fit, non modo

rectè vtimur occaſionibus, quas ſecundæ res, & aduerſæ, quæ, quandiu hîc viuitur, non deſunt, nobis benè multas offerunt.

15. His omnibus conueniet plurimùm capita ſuperiora perlegere, quibus eorum, quæ hîc ſummatim dicta ſunt ratio peculiaris continetur explicata fuſiùs. At nemo ſibi tantùm ſumat, & arroget, vt rectum horum vſum ſe aſſecutum putet, ſi non habet perſpectam magnitudinem beneficij, quod à Deo, cùm ſuper Aras conſedit, in nos munificentiſſimè collatum eſt. Certum eſt nec à Cœlo proficiſci, nec è terrâ extare poſſe vilũ maius, ac illuſtrius. Nobis eſt præſidio, ſi oppugnamur; ſolatio ſi affligimur; medicamento, ſi ægrotamus; alimento, ſi eſurimus; ſi iter habemus, dux eſt itineris; ſi pugnamus, ſcutum; ſi vincimus, corona; ſi triumphum agimus, ipſe eſt trophæum. Verùm, cur orationem produco longius? Nobis eſt omnia, quippe qui Deus ſuæ beneficentiæ muneribus nos ampliſſimè cumulans. Heus tu, Chriſtiane, ſi iſta penitus pernoueris

quàm eris ſolerti animo ad iſtud exercitationis intelligendum, quàm ad id commodè, ac piè vſurpandum inflammato! Quàm magni facies habere, iam inde ab hoc tempore, de rebus tuis cum Deo, ac primis gloriæ floribus cum voluptate decerptis felicitatem deguſtare!

CAPVT XXXII.

Hæc pietatis exercitatio confirmatur exemplis.

1. BEata Iuliana Virgo fuit nata Leodij, atque ab ineunte ætate ſummo Sanctiſſimi Sacramenti ſtudio incéſa. Ea iam prouectior, cùm pro more, inſtitutóque vitæ Cœnobicæ, quam profitebatur, duceretur ad ſacram ædem, ac ſeſe, dum Sacrum conficeretur quo ad ætatulæ facultas ferebat, ad ſenſus tanto ſacrificio dignos percipiendos compararet, repentè tantâ perfuſa eſt voluptate, vt ſui vix compos, hoc vnum intelligeret, nullas eſſe poſſe hominum delicias, quæ ad diuinas accederent. Ex

eo

eo tempore nihil erat illi optatius, quàm ad Aras ſeſe ſiſtere? Quò fiebat, vt quantacúmque] occupatione diſtineretur, cùm primùm ad rem diuinam dari ſignum audiret, tenere ſe non poſſet, quin ſpenſi ſui voluptati affluenti, & illabenti animum explicaret. Virginis pio conatu oblectatus Deus tanto eam amore complexus eſt, vt ipſi primæ omnium, quod ſcriptum extare ſciam, ſignificatum voluerit diem Auguſtiſſimæ Euchariſtiæ fore in Eccleſiâ feſtum, ac ſolemnem ipsámque vnam ex hominibus tantæ rei nuntiam, Quod euenit tandem, licet, vt erat ſingulari modeſtiâ, ac de ſe demiſſè ſentiebat, partes iſtas, vt pote maiores, & grauiores ſuo ſtatu, annos viginti, & amplius precibus aſſiduis conata ſit defugere, fuerı́ntque in exequendo Dei mandato multa, eáque perdifficilia ſubeunda. Rem aggreſſa eſt primùm communicato negotio cum fœminis piis, ac Religionis voto obſtrictis; deinde viros doctos, & graues conſuluit, Ioannem Lauſanum in primis eximiâ morum probitate

uico, ac Roberto Regibus noſtris, S. *In eorum rebus geſtis.*
Stephano Hungariæ Rege: eiúſque
filio, perhibent Hiſtorici noctes
integras ab illis conſumptas fuiſ-
ſe ad Auguſtum Sacramentum pia
veneratione, & ſermonis de rebus
grauioribus communicatione.

4. S. Franciſcus Xauerius iter ha-
bens quærebat ſibi diuerſorium pro-
ximè ſacram ædem, vbi ante ſanctum
Sacramentum noctu remotus ab ar- *Turſell in eius vitâ, itémque Ribad.*
bitris, Deo preces funderet. Malacæ
in Sacrarium ſe recipiebat veſperi,
dein nocte concubiâ ædem ingreſſus
accidebat ad ſacrum pegma, atque
hoc habitu corporis quo ad per vi-
res liceret, Deum orabat: defeſſus ve-
rò procūbens ad gradus Altaris perſe-
uerabat in precibus ad primā lucem.

5. P. Petrum Fabrum vnum de S.
Ignatij ſociis, cum multa pieta-
tis deſideria vehementer tenebant, *In eius vitâ l.2.c.3.*
tum hoc maximè commorandi in eo
loco vbi S. Eucharistiam venerari
poſſet. Cum aliquò proficiſceretur
primo villæ cuiuſcumque aſpectu S.
Sacramentum in illorum locorum ſa-
cris ædibus aſſeruatum conſalutabat.

6. B.

6. Beato Franciſco de Borgia is erat pius animi ſenſus, vt illud viſeretur ſingulis diebus ſepties in honorem huius numeri, qui religione ſanguinis Chriſti effuſi ſepties conſecratus eſt; fieret qualibet viſitatione communio ſpiritualis in conſpectu Sanctorum qui eo die colerentur, & aliorum, qui fuiſſent in S. Euchariſtiam magis affecti, réſque eæ peterentur quibus eſſet opus.

Ribad. in eius vitâ.

7. Beatus Iacobus Saleſius de Societate noſtrâ Sacerdos, idémque Martyr cæſus Albenaci ab Hæreticis anno 1593. 7. Idus Februarij, præter alia in hoc Sacramento pietatis officia, non prætermittebat diem vllum quo illud viſeret. Equidẽ in maximis vitæ meæ bonis numero veniſſe me in conſuetudinem viri ſancti, qui ſua mecum communicarit ingenue, in quibus illud fuit, quod ſtatim memoraui; & hoc alterum, cùm accerſeretur ad atrium acturus cum homine extraneo, aut re confectâ in cubiculum rediret, aut per mediam domum iret, præterirétque ſecundum Odeum; quod ſpectabat ad Aram principem.

Odo Geſſus in eius vitâ cap. 5.

toties eum illò ingredi conſueuiſſe Dei ſalutandi cauſâ, ſicque vix vllam diei horam prætermitti ab eo, quin iſtud honoris officium inibi perſolueret.

8. In conſtituendis Monaſteriis S. Tereſiam hoc in primis afficiebat, quòd Chriſti honor augendus foret loco vno. Dolebat verò amentiam, ac impietatem Hæreticorum, qui ſacras ædes diſturbaſſent, quoniam, inquiebat, futurum eſſet, vt inibi Deus nec coleretur, nec viſeretur à Chriſtianis, quemadmodum ipſâ optaret. *Ribera l. 4. vitæ ipſius c. 12.*

9. Beata Margareta Arbuzia, cuius eximia virtus mihi perſpecta fuit, harum viſitationum adeò ſtudioſa erat, vt Auguſtum Sacramentum propalà collocatum ante oculos proponi optaret. Quo adducta eſt ad conſtituendum certâ lege, vt quoque menſe daretur in conſpectum filiabus ſuis, quas tum ad crebram illius ſalutationem hortabatur. Cùm recondebatur, ſi licuiſſet, condidiſſet illud in ſinu. Adeo cupida erat illo perfruendi. Hinc diligentem dabat operam, ſa- *Ferragius l. 1. vitæ ipſius c. 5. & 15.*

ſum ſibi comparauit, nemo vt eam adiret, quin demiraretur, fateretúrque licèt doctiſſimus, nunquam planiùs, & explicatiùs exponi noſtra myſteria ſe audiuiſſe. P. Baltazar Aluarius poteſtatem illi fecit accedendi quotidie ad diuinam Synaxim ob ſingulare illius ſtudium in hoc myſterium, in quo Chriſtum perinde ac ſi oculis corporis vidiſſet, mente ipsâ contemplabatur. Apparebat illi interdum in ſacrâ Hoſtiâ ſpecie infantis pulcherrimi, atque ex calice exiſtebat vapor qualis è recenti cruore excitatur. Cæterum tantâ animi lætitiâ exultabat, vt de tanto beneficio in homines collato cum Deo agens ſciſcitaretur num præter voluptatem, quæ in ipſius animum inde affluebat, aliud impertiendum ſuppeteret.

11. Veneranda Galiota à S. Anna, quæ Ordinem S. Ioannis Hieroſolymitani inſtaurauit in Galliâ, tantâ ſuauitate perfundebatur in aſpectu ſacræ Euchariſtiæ, ſatiari vt non poſſet & acceſſu, & vſu qui ſpiritu fit. Poſt Matutinas preces, manè

In eius vitâl. 2. c. 20.

à ſomno, ab ipſâ meditatione non omittebat ſalutem illi dicere. Quod ſi tùm offendiſſet lucernam quæ ad Aras de more collucet extinctam, accendebat illicò, ducebátque felicitati eam ſi opus eſſet manibus ſuis abſtergere cùm ad tam præclaros vſus eſſet comparata. Altaris inſtructum, & ornatum curabat, nec rei quidpiam ante ſuſcipiebat, quàm oraculum ſuum conſuluiſſet.

12. Eleonor Malpaſia, Religionem profeſſa in Monaſterio Charmenſi ſacræ Virgini ſacro, eóque in Ordine Fontis-Euraldi florentiſſimo, deceſſit ibidem ex hac vitâ piè, ac ſanctè poſt actam in eo loco ætatem religiosè, demiſsè, manſuetè, animo ardenti, & inſe collecto, atque à rebus fluxis alieno; quod equidem confirmare certo teſtimonio poſſum, cùm illius mentem & penitus, & perdiu pernouerim, intellexerímque eam ab obitu nonnullis opem illius implorantibus adfuiſſe. Huic in cæteris religioſi cultûs muneribus cordi fuit Euchariſtiæ ſalutatio, vt conſtat ex ipſius ſcripto, quod eiuſdem

manu

manu aſſeruo, putóque producendum hîc eſſe ad peculiare ſolatium ſociarum, quibus illud erit perutile. En ſcripto comprehenſa ſententia ipſius verbis,at latinis redditã. *Ex eius. ſcriptis.*
Non deſiſtam toto vitæ meæ tempore infinitam Dei in me benignitatem admirari, qui me ad religioſum inſtitutum, domumque ſuam adduxerit, quam propriam habet perpetuò conſidens in S. Sacramento, tanquam in amoris, ac miſericordiæ ſede Regiâ. Quam feliciter mecum actum eſt, quæ in eo loco verſer, qui prabet mihi facilem ad Dominum aditum, quâ horâ lubet! Videmur incluſæ in carcere; at quo carcere? Amoris profectò, cùm in eo ſimus abditæ ad Diuini ſponſi, quem amamus, ſacros amplexus. Quid nobis liberius; cùm eò ire liceat, vbi rerum omnium eſt copia? ô nos fortunatas hoc noſtro carcere, cùm in eo Ieſum chariſſimum ſocium habeamus! Si iam in communi hominum cœtu verſarer bonis affluens, veniréque in mentem huiuſce felicitatis, quâ donantur, qui ſe Deo deuouere voto nuncupato, quique maximam diei partem ad aras ponunt, hoc certè vno in-
ducta

viſam quotidie bis, vt de rebus meis cum illo habeam: 1. ante prandium, aut preces quæ horâ nonâ adſcribuntur: aperiam tùm quidquid ſancti deſiderij, ac ſtudij iniectũ fuerit toto tempore matutino, in oratione, cùm res diuina fieret, in perſoluendo precationis penſo, in legendo, obteſtaborque hæc in me ad ſui nominis gloriã ſuâ efficacitate confirmet. 2. veſperi rerum de die à me geſtarum rationem reddam, & cùm peccatum fuerit contrà ipſius voluntatem, ac mentem, veniam petam; ſi quid autem peculiaris culpæ admiſerim, id agnoſcam quàm primùm, mihique pœnæ quidpiam imponam; Nihil ante aggrediar, quàm ab eo conſilium petierim, induxerimque animum rem ab eo probari; nec quicquam omittam niſi de ipſius ſententiâ. Cùm res occurret præcipua, conabor ad illius Auguſtum ſacrariũ, ſecedere. Intellexi è Domino meo ad habendã gratiam de beneficentiâ, quam in hoc Sacramento adhibet, poſtulari à me amoris in illum genera duo; Amorem fortem, quo impedimenta ſuperentur ea, quæ inferri poſſunt fidelitati, quam illi debeo, quámque adhibere volo in animo ad ſacras epulas, vt par eſt, præparando; Amorẽ ſolertẽ, quo noui apparatus excogitẽtur;

Amorem

Amorem ardentem, quo abripiar ad ea omnia, quæ ad S. Euchariſtiam pertinent, ad ſermonem de illâ habendum, ad illam viſendam, ad cogitandum de eâ quotidie, quâ accidendo, quâ deoſculando calices cùm illos è munere ſuo loco reponam. Deinde eâdem ſerie iſtud ſubiicit, quod indicio eſt penſum diurnum viſitationis tantùm illi fructûs attuliſſe, vt multiplicato onere inuiſeret ſepties.

Viſitationes quotidianæ Sancti Sacramenti.

PRima inſtituetur ad petenda tria, 1. veniam culparum generatim. 2. culpæ peculiaris, quæ maiores radices egit. 3. gratiam, quâ mortem oppetam, potiùs quam in noxam mortiferam, aut etiã leuem deditâ operâ prolabar. Altera gratiam referam de beneficio Chriſtianiſmi, ac de vocatione ad ſtatum Religioſum, votis iterum illi breuiter nuncupatis. Tertia comparata erit ad vires animi omnes illi committendas, ab eóque poſtulandum, vt ipſius gratiâ iam inde

de iis aſſuefiant, quibus in cœlo operam dabunt. Quarta ad exorandam animi demiſſionem, ac virtutem, cui quoque menſe ſtudendum eſt. Quinta ad impetrandam gratiam referendi omnia, quæ à me gerentur, ad illius maiorem gloriam, meique perfectionem. Sextâ præſtabo tria, gratias agam de amore, quo me, ac cæteros homines complexus ſeſe in hoc Sacramento exhibuit; veniam petam culparum admiſſarum in vſurpandâ ſacrâ Synaxi animo minùs idoneo, & comparato; adhibebo tùm actiones fidei, ſpei, amoris, ac præſertim incendar ipſius deſiderio; Erit etiam vtile conſtituere ſemper actionem aliquam virtutis quæ animum præparet ad diuinum epulum, vt terræ oſculationem; dolorem, &c. Septimâ, commendabo extremam morientium pugnam, mortémque fauſtam & mihi, & iis quos precibus meis adiungo, de more; ſupplex poſtulabo.

13. De Ioanne Berchmano memorat vitæ Scriptor, hoc viſendi Sacramenti

Virg. Cip. in eius vitâ p. 2.

menti ſtudium, ac S. Virginis pium cultum.

14. B. Alexander Luſagus, vir nobilis Brixianus, his Chriſtum in hac exercitatione alloquebatur. *Mi Ieſu, Domine mi, mi Deus, te ipſum in hoc Sacramento conſtitutum voluiſti non modo tui in nos amoris ſignificandi causâ, noſque incitandi ad id rependendum officij: ſed etiam honoris tui augendi cumulatiùs, quem aliquâ ex parte noſtris ſtudiis commiſiſti: etenim cùm ſpectatâ nobilitate Princeps ſimulatè perſonam tegit vili veſtitu, aut coniectus eſt in carcerem, ſi quis eoſdem ei tribuit honores, quos cùm illum viſeret domi, profectò honorem habet illi multò maiorem, quàm, ſi idem tùm deferretur, cùm dignitatis ſplendore, & aſſectatorum comitatu magnificè collucet. En tibi mi Domine, patet aperta mens; in eam intra, in eâ vt domineris pro arbitrio.* Præter hæc omnia actionibus aliis exercebat ſeſe, modò demiſſi animi, modò à rebus humanis abducti, modò Deo ſtudentis. Demittebat ſeſe ad nihitum, quod Dei magnitudini infinitæ opponebat; Abducebat animum ab

In eius vitâ l. 1. cap. 9.

iis omnibus, quæ ſunt extra Deum, iiſque illum denudabat; optabat valde eam Deo coniungi, mentem ipſam aperiens, atque etiam os, vt ſibi videbatur, ad ſacrum cibum ſumendum. His ſubiiciebat actiones alias tres; primam *conformitatis*, Chriſto adhærendo arctiſſimo neceſſitudinis vinculo; alteram *Vniformitatis*, venerando ſimilitudinem eam, quam ipſi ſecum Deus ineſſe vellet, cùm animam vt ipſe eſt pura, & perfecta mens, mente inſtruxerit. Tertiam *Deiformitatis* ſeſe in Dei mores, conuertendo, ac perſonas diuinas pro ipſarum inter ſe ratione ac vnitate naturæ ſanctè colendo.

In annal. Soc. Ieſu. 15. Pietas Chriſtianorum recenti memoriâ ad Chriſti Religionem traductorum in Americâ animos ſic affecit, vt meminiſſe hoc loco non pigeat, quæ de his narrantur à R. P. Nicolao Durando de *domicilio Incarnationis*. In pago Itapoâ ſito ſermonem inſtituit. Pium in Sanctum Sacramentum ſtudium ſignificauerunt Indi, cùm à me, inquit ille, tandem impetrarunt, illud vt propa-

lam ante oculos proponeretur in æde ſacrâ. Dicta dies eſt ceremoniæ; ſuam quiſque operam ad ipſum apparatum confert; Accerſiti à viciniâ Muſici, viæ ſtratæ multo ramo, portæ triumphales erectæ; ſupplicatio tantâ pietate facta fuit, dies vt conſumpta fuerit eâ lætitiâ, piâque gratulatione, quæ admirationi fuiſſet iis, qui ſpectarunt in locis totius Europæ excultiſſimis dierum feſtorum maximam celebritatem. A cœleſtis cibi aſpectu iniecta illis fames, atque ex eo tempore crebrior fuit illius vſus, & maiori animi præparatione. Cùm anteà ad ſacram Ædem ire non conſueuiſſent, niſi vel rei diuinæ adeſſent, vel verba facienti oratori: nunc adeunt quotidie ſæpius, ponúntque horas benè multas in fundendis ad Aras precibus; ex quo huic Religioni ea facta eſt acceſſio, vt, ne pueri quidem, & ſenes ſacrarum ædium limen prætereant, quin genua religiosè flectant; quod faciunt etiam quoties illarum luminibus, aut veſtibulo aduerſis è regione ſunt, etſi longo interuallo.

Eò accedit, mulieres cùm à villis redeunt rebus ruſticis nauatâ operâ, primo Templi aſpectu ſubſidere, & ſi onuſtas, aliquid precari flexo genu, atque ad id puerulos ſuos, qui vix pedibus niti poſſunt, inducere; non facilè quis credat, quàm iucundum ſpectaculum præbeant hi matrum affixi lateri, qui cum veſtigio mouere ſe non poſſint ab illarum manibus auulſi; accidant tamen flexo genu tam ſæpe ſuopte nutu. Næ fortunati pueri, qui ante norunt ad molitorem ſui abiicere ſeſe, quàm ingredi. Dei caſtiſſimi præſentia non parum valuit ad mulieres Indas in officio continendas; ſi quis enim verborum illecebris illas aggreſſus ſit, repulſus eſt his verbis; *Num te pudet, homo ſpurciſſime cogitare de contaminando corpore, in quo Caſtiſſimum Numen ſedem collocauit?* Hinc pariter mos, quem ſanctè omnes tenent, non ante ad opus diurnum aggrediendi, quàm ſacris interfuerint, auctus eſt nouâ pietatis acceſſione.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Concluſio generalis huius libri.

1. CVm ex allatis, tum reliquis omnibus, quæ hoc libro continentur, efficitur neminem huic religionis Chriſtianæ honeſto, ac ſancto officio deeſſe poſſe, quin incurrat in culpam ingrati animi in ſummum illum amorem, quo nos Deus proſecutus eſt, cùm hoc diuinum Myſterium inſtituit, grauiſque negligentiæ in ſequendâ eâ ratione optimâ, quam Deus ſapientiâ infinitâ excogitauit, perueniendi ad id felicitatis, quod quiſque tenetur in terris aſſequi. Quid ergo non obiiciet illa Sapientia? quid amor ille non exprobrabit ei in quo hoc culpæ hærebit? O ingratum hominem, inquiet, in beneficum Numen! ô immemorem collatorum beneficiorum! ô negligentem tui! Qui eò amentiæ, ac ſtupiditatis deueniſti! ſignificaueram hoc meo Sacramento teneri me ſtudio commorandi tecum

non modò diuinitate, ſed etiam ipſo corpore; hoc tibi traditum à me pretioſum pignus ad vſus tuos omnes; in donum, quo locupletandus eſſes; in cibum, quo alendus; in gemmam, quâ ornandus; in ductorem viæ, quo ducendus; in aſylum, quod futurum eſſet ſaluti; in propugnaculum, quod præſidio; Præterea habebam in animo vindicare te à malis, ægritudines leuare, excitare iacentem, ignarum docere, confirmare dubitantem, in periculis opem ferre, robur addere infirmo, aduerſùs hoſtes armis inſtruere, ægrotanti medicamentum præbere, quo vno depulſurus eſſes morborum genus omne; eò ſpectabat conſilium meum, quod cum feceris nihili, nullum inde fructum cæpiſti. Quod eâ re ſi effectum eſt, quia fidem mihi non adhibebas, nonne hominis extranei, & à religione alieni perſonam ſuſtinuiſti in meâ domo? ſi fidem adhibuiſti? quam ingratè remuneratus es hoc meum in te ſingulare beneficium? An afferes moram à negotiis domeſticis fuiſſe

iſti

iſti officio perſoluendo iniectam? viſa ergo tibi ſunt iſthæc potiora, maioríſque momenti, quàm ad Deum tuum boni omnis fontem perfugere? Curas igitur omnes, ac ſtudia in amicos inuiſendos, in colendos agros, & vites contuliſti; & licet probè noſſes conſidere me ſuper Aras ſecundùm viam ac quàm proximè limen tuum, teque eò inuitari abs me, & ibidem expectari cumulandum gratiâ, vix illò ſemel adiiſti commodè certo mei viſendi propoſito, atque iſtâ negligentiâ & dies totos, & menſes, & ferè totius vitæ annos prætermiſiſti? Quibus verbis increpares tibi conditione ſocium tam inurbanè ab eo acceptus? quid pœnarum tibi non daret ſeruus, qui te ità ſpreuiſſet? fontem ergo vitæ dereliquiſti, tibi vt extrueres ciſternas, quæ rimas agerent, nec aptæ eſſent continendis aquis? Nonne tibi venire in mentem oportebat, infelix, fore vt iſtorum omnium rationem redderes, pro Tribunali iuſtitiæ meæ diligenter inquireretur in te, qui

ad ſellam gratiæ miſericordiam implorare pro nihilo duxiſſes ?

Quid ad æquiſſimam iſtam reprehenſionem afferretur defenſionis à Chriſtiano , ſi tantâ negligentiâ conuictus manifeſtò teneretur ? Verùm enimuerò quàm multi eiuſmodi culpâ tenentur ? Quàm multi iſta non cogitant ? Atque hæc eſt hominum ſumma infelicitas , qui curâ rerum æternarum abiectâ incumbunt toto animo , & ſtudio ad ea , quæ fluxa ſunt , & caduca, comparanda , & congerenda affatim , cùm tamen non niſi deliniendis ſenſibus eſca ſint , premant animum graui onere , vitia foueant , libidinem incendant, amori diuino moram inferant , officiant ſaluti.

2. Vos verò prudentiores , ac magis prouidi , quibus in hoc religioſo munere conſtanter exequendo , eiuſdem miſerandum in modum, prætermiſſi turpitudo perſpecta eſt, quibus explorata eſt damnorum, quæ inde contrahuntur grauitas, & magnitudo ; Qui hanc Iſaiæ ſen-

tentiam

tentiam pernouiſtis. *Quærite Dominum, dum inueniri poteſt, Inuocate eum, dum propè eſt*, quos non fugit, quò ſpectet eiuſdem Prophetæ expoſtulatio, *facta eſt veritas in obliuionem, & vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non eſt iudicium, & vidit, quia non eſt vir, & aporiatus eſt, quia non eſt, qui occurrat.* Vos, inquam, qui hæc intelligitis, perſpicitis atque adeò cum aliquo doloris ſenſu adnimaduertitis, miſeramini vicem, & amentiam iſtorum Chriſtianorum, qui tam frigidè huius nominis partes agunt, communicate cum illis preces veſtras quotidianas; efficite, vt quod rationis lumen ſuâ libidine extinguunt, & fidei, quod à negligentia illorum interit, ipſis reſtituatur ope veſtrâ, vt præclaro iſto exemplo, quod ipſis præbetis, ac monitis, quæ in hoc libro perlegent, referant animum ad veritatem ac ingrato animo in memorem, & gratum commutato, languenti, ac frigido in con-

Iſaia 59. 15.

citatum, & ardentem abiiciantur ad Sancta Altaria harum viſitationum maximè ſalutarium debitum officium Deo perſoluturi veſtræ pietatis imitatione. Ità ſummo illi Regi erunt honori iſta laudis ſacrificia, quæ ſibi potiora eſſe dicebat ipſe olim, quam vitulorum, & arietum qui ſuper aram Tabernaculi mactabantur.

3. Da, maxime Deus, qui honoris tui ſtudioſus es, ac noſtri commodi, dá vt quicumque in Eccleſiæ tuæ gremio educati ſumus, hoc habeamus ita perſuaſum, nullum vt vitæ diem prætermittamus, quin hoc munus à nobis colatur; Da, vt in hac ſermonis communicatione, ſanctáque tui conſalutatione, ea animi fidelitate, & conſtantiâ perſeueremus, hæc vt ſalutaris Hoſtia, cùm ſupremo vitæ die vocabimur in iudicium, viatico nobis futura ſit, & ſubſidio ad tam periculoſum exitum, eueniátque tandem, vt ab iſto gratiæ ſolio tranſeamus feliciter ad Regiam Cœleſtis gloriæ, ad quam

cum

cum quatuor illis, & viginti ſenioribus, de quibus commemorat S. Ioannes in Apocalypſi, cum Angelis, ac hominibus beatis felicitate cumulati; at noſtris coronis, vt illorum, ad pedes tuos abiectis, canticum illud perhonorificum, quo te inibi ſanctè colunt, laude ſempiternâ concinamus, nec intermittamus vnquam in has voces erumpere. *Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.*

Ad Maiorem ſanctiſſimæ Trinitatis, Chriſti Agni, ac Deiparæ Virginis gloriam.

MEDITATIO DE SANCTO SAcramento.

IESV suauiſſime quàm belle in te iſtud cadit. *Cùm dilexiſſes tuos, in finem dilexiſti eos!* Ecquid enim iſtud amoris? quid ſtudij in nos inflammati pridie eius diei, qui vitæ futurus eſſet ſupremus, cùm homines cruciatus varios, quibus tibi vitam eriperent, diligenter excogitarent, impertitam illis abs te fuiſſe ad ipſorum ſalutem, carnem in cibum, in potum ſanguinem? Niſi frigore totus obrigeſcerem, num me ignis ille vehementer inflammaret? Da, optime animorum amator, huiuſce flammæ ſuſcipiam aliquid, quo excitata mens amorem amore compenſet, atque meditando eximium iſtud donum impertitum abs te nobis in hoc myſterio, varios ad ſenſus adducatur.

PVNCTVM I.

EXquiram cauſas, quibus inductus eſt Redemptor ad gratificandum nobis tam liberali voluntate de ſuo Corpore, ac Sanguine, atque admirabor, licet eæ plurimæ fuerint, ab amore tamen exiſtere omnes, tanquam ab vnâ radice ramos.

1. Etenim, mi anime, ſi id effecit ſtudio commorandi nobiſcum, vt ſcriptum eſt, *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*, non diuinitate ſolùm, ſed corpore; Tribuendum eſt amori. *Prou. 8. 31.*

2. Si liberandi nos hoſtium inſidijs, vt canebat Vates hymnopœus, *Domine, paraſti in conſpectu meo menſam aduersùs eos qui tribulant me.* Tribuendum eſt amori. *Pſal. 22. 5.*

3. Si cumulandi ſuam Eccleſiam hoc pretioſo pignore, ac præbendi opportunitatem, quâ ageretur ſecum familiariùs; Tribuendum eſt amori.

4. Si conſeruandi dolorum ſuorum memo

memoriam; tribuendum amori.

5. Si conciliandi ſibi Eccleſiam chariſſimam ſponſam; tribuendum eſt amori.

6. Si præbendi pignus hæreditatis æternæ, atque eâ ſpe confirmandi animos in laboribus, & ærumnis; tribuendum amori.

7. Si impertiendi animabus alimentum idoneum, vt impertitum affatim corpori; tribuendum amori.

8. Si reſtituendi hominem ad priſtinum dignitatis ſtatum, atque tantùm extollendi ſuâ gratiâ, quantùm ipſum depreſſerat culpa ſua; imò verò magis; tribuendum eſt amori.

9. Si legandi Eccleſiæ ex teſtamento facto ſub obitum, gratiæ theſaurum infinitum; tribuendum eſt amori.

10. Si commodandi Chriſtiano quo de beneficiis, quæ in ipſum quotidie liberaliſſimè conferuntur, gratias agat; tribuendum amori.

11. Si perficiendi quodammodo opus Incarnationis, vt quemadmodùm ipſâ perſonâ cum naturâ humanâ ſingulari coniunctus eſt: ita præberet

præberet ſeſe communicandum cum ſingulis, perficerétque maximam naturæ ſuæ cum noſtrâ coniunctionem; tribuendum amori.

12. Si conſtituendi miraculorum gratiæ epitomen, vt in homine efficiendo rerum in Orbe vniuerſo præſtantiſſimarum; tribuendum amori.

13. Si donandi nos immortalitate per cœleſtem cibum, vt ſignificatur hoc promiſſo, *ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*; quemadmodùm cibus alter mortis pœnam nobis accerſierat Deo comminante, *in quocumque die ex eo comederis morte morieris.* tribuendum amori. *Ioan 6.52.* *Gen. 2. 17.*

14. Si ſuppeditandi homini, quo debitum Deo religionis officium perſoluat; atque vt cultum meretur infinitum, ita ſit homini quidpiam æquale, quod reponat; tribuendum amori.

15. Denique ſi confirmandi veritatem figurarum veterum, ſi probandi vaticinia Prophetarum qui prædixerant rejectis priſcis ſacrificiis *Malach. 1. 11.*

ho

hoſtiam puriſſimam in omni regione habitabili ritu Melchiſedecis præbitum iri; Tribuendum amori.

O igitur Sacramentum amoris veriſſimi! pignus dilectionis pretioſiſſimum, præceptum eximiæ benignitatis, miſericordiæ, quæ explicari non queat, inuentum! candens carbo ad animos amoris igne inflammandos. Quid tibi referam, Ieſu amantiſſime niſi amorem? vellem eum rependere adeò fortem, meam vt voluntatem cum tuâ ſic coniungeret, vt ab ea diuelli non poſſet, non anguſtiis, non ægritudine, non vexatione, non gladio, non vitæ ſtudio, non metu mortis, non rebus præſentibus, non futuris, verbo vno, re nullâ. Hoc equidem aſſequi per me non poſſum, hoc à te peto, cordis deliciæ, ac per amorem tuum oro, obteſtórque.

PVNCTVM 2.

EXpendam quæ in nobis ab hoc diuino cibo efficiuntur, quorum caput eſt hominis in Deum commu-

mutatio. Cùm enim ſeipſum appellet Chriſtus *Panem viuum*, quòd ſub panis ſpecie viuat in Sacramento, hoc autem inter cibum mortuum, & viuentem interſit, quòd ille in naturam eius, quem alit, conuertatur; hic contrà eum in ſe conuertat communicatione ſui, efficitur profectò qui ſacro pane alitur idoneè, eum aliquomodo in ipſum mutari. Quare vt panis vi verborum, quibus conſecratur, in Chriſti naturam mutatur: Ita homo, qui ante diuinas epulas homo erat duntaxat, poſtquam illis acceptus eſt, mentis habitu conuertitur in Deum, ac beneficio gratiæ euadit quodammodò in Deum diuino afflatu. Compertum iſtud eſt in iis, qui hoc Sacramentum, vt par eſt, vſurpant; ſic enim illis impertiuntur diuinæ dotes, vt Deo videantur eſſe ſimillimi. *Ioan. 6. 41.*

1. Seipſo delectatur Deus, nec aliunde beatitudinem accerſit; eos ille vnus oblectat, in illo vno, tanquam in felicitatis centro, eorum animi conquieſcunt.

2. Deus habitat in luce, ad quam

non

non patet acceſſus, nec illius lumen obſcuratur vllis tenebris: iſti, vt plurimùm mente ſunt adeò illuſtratâ, intelligentiâque myſteriorum tantâ, vt videantur lumine Cœlitum iam perfuſi.

3 Dei voluntas rectiſſima eſt, imò ipſamet æquitas: iſtorum animus ſemper abhorret à culpâ; euenítque ſæpenumerò, eam vt in ſomnis cùm ſui minùs ſunt compotes, perinde ac vigiles aggrediantur, & retundant.

4. Deo, vt Deo affectiones nullæ, vt homini fuere nonnullæ, ſed quæ ex ipſius nutu, & arbitrio penderent; Iſti affectionibus non carent ſed illas habent ità refrænatas nihil vt in illis extet, quod ipſos quemadmodum anteà præter modum efferat.

5. Viuit Deus, at de ſuo, non verò de alieno: viuunt etiam iſti de Deo adeò vt ipſorum quíſque poſſit illud S. Paûli ſibi ſumere. *Viuo ego, iam non* *Ad Gal. 2. 20.* *ego, viuit autem in me Chriſtus.*

6. Deus, vt Deus tentari non poteſt, vt homo tentatus fuit: at-

ten

tentatoris ſummo probro ; ſuæ ſunt iſtis tentationes : verùm eâ ſunt fortitudine aduersùs hoſtium conatus, vt illis repreſſis acerrimum perduellem, quæ eſt interdum ipſorum animi magnitudo, prouocent ad pugnam, quam ipſe defugiat. Quæ generoſa virtus hoc effati elicuit è S. Chryſoſtomo. *Surgunt tanquam leones ignem ſpirantes, Diabolo formidoloſi.* *Chryſoſt. hom. 61. ad pop. Antioch.*

7. In Deum nihil ægritudinis cadit; in iſtos cadit aliquid quidem : at mirificè leuatum ſpe certâ futuræ conſolationis. Quod tantam illis aliquando lætitiam affert, vt angores ipſi ; & moleſtiæ ſint illis gaudio, præſertim ſtatim à diuinâ Synaxi, quòd deguſtatam in ipſo fonte voluptatem inde hauſerint.

8. Ex quo fit, quemadmodùm Deus ſe vno perfectiſſimè beatus eſt : ita iſtorum animos tantis affluentes eſſe voluptatibus, ac tantâ perfrui ſtudiorum ſuorum pacatione, Deum vnum vt appetant, præterea nihil, vſurpéntque illud S. Franciſci, *Deus meus, & omnia.* *Bonau in vitâ S. Franciſci.*

In

In quo, mi anime, vt hanc commutationem perſpicis, & rerum, quas hoc Sacramentum efficit, præſtantiam: Ita perſpiciendum tibi eſt diſcrimen, quod inter delicias corporis, atque eas, quæ mentis ſunt intercedit: ſatiat illarum copia, dum affluunt; contrà verò, hæ famem afferunt. O Cibum igitur virtutis eximiæ! ô fontem gratiæ perennem! ô theſaurum immenſarum opum! ô Sacramentum omnium præſtantiſſimum! ô Carnem, ô Sanguinem Redemptoris! Tu mala omnia auertis, tu accerſis bona, priſcis, ac veteribus figuris reſectis, deſertíſque aris Hebræorum. Quàm multis priuamur beneficiis, cùm tui vſu abſtinemus! Verùm huius Arboris vitæ fructus cùm ſint virtutis eximiæ, quid cauſæ eſt, cur illos tam pauci capiant, atque adeo ii, maximam partem, qui eo cibo veſcuntur?

PVN

PVNCTVM. 3.

CAuſam ſcrutabor huius rei, ac perinde ac ſi eam mihi cuſtos Angelus explicaret, aures illi præbebo dicenti. Chara anima, agunt cauſæ omnes pro præparatione materiæ ſubiectæ, in quam incidunt; à Sole obdureſcit lutum, cera liquefacta dilabitur; ab igne inflammatur lignum illico, ſi eſt ſiccum, ſenſim ſi madens; ſi humidum, & viride multò ſerius. Idem de S. Euchariſtiâ dixerim; Mortem affert iis qui culpæ mortiferæ conſcij ad ipſam accedunt: aliis impertit ea, quæ dixi, plùs, minúſue pro ipſorum ſenſu atque animi præparatione. Verùm quàm multos reperias, qui contaminati accedant! numero ſanè ſunt propè infinito. Ipsâ peccatorum confeſſione, quæ ſecundum baptiſma ad abſtergendas animorum maculas ſingulari miſericordiâ comparata eſt, nonne iſti abutuntur aut culpâ non retectâ, aut prætermiſſo dolore, aut factorum ſuorum non adhibitâ inquiſitione, aut non

con

conſtitutâ animo emendatione ſui, aut aliis id genus, quæ à ſacrilegio non abſunt. Profectò, qui ſic affecti adeunt, ſibi mortem, ac perniciem creant. Quid mirum igitur, ſi tam paucis vtilis ſit hæc diuina eſca: ſi tam multi poſt illam ore ſumptam æque ſint vitiis inquinati, ac anteà, imò inquinatiores? ſi æquè vehementibus perturbationibus concitentur, efferantur iracundiâ, ardeant auaritiâ, inſitâ penitùs inuidentiâ contabeſcant, furenti libidine præcipites ruant, teneantur ambitione, ac cupiditate inſatiabili? ſumunt nullo pietatis ſenſu, abſcedunt fructu nullo. Heu! mi ſancte Angele (hoc enim reſponſi dabo) heu! verius iſtud eſt, quàm oporteat! vtinam in me miſero non eſſet exploratum! qui tam ſæpe ad cœleſtes epulas imparatus acceſſi! verùm fer opem miſero, ne iterum in culpam prolabar, indéque mihi perniciem accerſam, vnde foret petenda ſalus. Cùm dies appetent, quibus mihi ad Synaxim eundum erit, ſuggere, quæ noſti Deo eſſe gratiſſima, quibus accedam præparatior.

COL

COLLOQVIVM.

TV verò, Ieſu & colende plurimùm nobis, & noſtri amantiſſime, da id exequar, amorémque amore compenſem, cùm nullus ſit commodior apparatus, tibi que magis acceptus ad myſterium amoris, quàm amori, quem in eo inſtituendo ſignificaſti, mutuo amoris officio reſpondere. Quidquid tibi eſt, & pulcherrimum, & optimum, teſte Zachariâ Prophetâ, id nobis in hoc vno beneficio liberaliter commodaſti; pulcherrimum, quod men tes noſtras re præſtabili obiectâ ad te alliceret; optimum, quod expectationem deſiderij noſtri expleret, ſatiarétque animum, rerum aliarum, præterquàm tui, ſtudiis in eo reſtinctis. Nihilominùs tamen abſtrahitur mens mea, ô Domine, ad res creatas, quaſi nihil offerri poſſet & pulchrius, & melius. Agnoſco equidem erratum meum: at deficiunt me vires, quibus illud corrigam. Amor tuus, qui fortior eſt ipsâ

Zach. 9. 17.

morte.

morte ad depellenda vitia, ſi mihi ſubſidio erit, emendabo facilè quicquid ſuberit peccati. Da illum igitur, Domine, da, obſecro, aut vitam eripe; præſtaret enim multo mihi mori, quàm in viuis eum tenere ordinem, quem cum tantâ effuſionem dediſti, tui amoris expertem. Imò verò vitæ vſuram, ſi tibi placet, adhuc commoda mihi in terris, vt vitæ anteactæ delicta corrigam, viuámque deinceps ita obtemperans tui amoris legibus, nihil vt in me ſit vitæ, nihil valetudinis, nihil virium, nihil deſiderij, nihil propoſiti, quod ad Nominis tui, cultúſque propagationem non dirigatur. Amen.

INDEX

INDEX ACCVRATVS

RERVM MEMORABILIVM, QVÆ hoc opuſculo continentur.

A

ABIGAILIS modeſtiam quum ei allatus eſſet nuntius à Dauide de coniugio, quanti fecerit Dauid. 195.196
Abrahamus qua corporis forma Deum veneratus eſt. 88
Abrahamo quando magis gratificatus eſt Deus. 183
Achatem Pyrrhi Regis, vt omni

æſtimatione maiorem prædicauere veteres, cur. 117
Actionibus à fine ad quem referuntur ſpecies honeſti tribuitur. 86
Actionum honeſtarum principia à naturæ inſtinctu duci poſſunt. 114
Actionis gratiarum formula, poſtquàm aliquod beneficium accepe-rimus à Deo, coram ſanctiſſimo Sacramento. 180.181
Actiones omnes qua norma ad bonum finem dirigendæ. 61
Actiones ridiculæ pietatis in ſanctiſſimi Sacramenti viſitatione & veneratione improbantur. 243
Adamus etſi ſumma virtute præditus in ſtatu innocentiæ, cur corruit. 77
S. Adelhardus cum Carolo magno cognatione coniunctus, quanta cum animi recollectione & reuerentia ad Sanctiſſimum accederet Sacramentum. 225
Adoratio nequit eſſe perfecta ſine tribus actionibus. 158
Adrianus Imperator ſupra Chriſti ſacrum præſepe in oppido Bethleem Adonidis ſtatuã collocari iuſſit. 56
Ædes ſeu templa Chriſtianorum quàm Deo grata & accepta. 101
Ædes

Ædium ſacrarum multitudo maximam præbet opportunitatem viſitandi S.S. in quibus aſſeruatur. 104
Ægyptij Monachi crebras habebant orationes; eas tamen breuiſſimas & raptim quodammodo iaculatas, cur. 112
Ægyptij Monachi poſt corporis abiectionem in ſacris cur cito ſurgebant. 92
Ægrorum cum morbus eſt eiuſmodi vt illos prohibeat à ſumendo viatico, quid faciendum ex præſcripto Eccleſiæ. 188
Æthiopes dum ſancta Hoſtia attollitur ſtant recti. 87
Africani corporis ad terram ſtrati abiectionem, in more habuerunt in rebus ſacris. 90
B. Agatha à Cruce è tertio S. Dominici ordine quanto diuini conuiuij deſiderio tenebatur. 141
in Agno Paſchali edendo, cur coniectæ in ignem reliquiæ comburebantur. 30
Alimentum quod à cauſis naturalibus trahunt fœtus vim habet alendi certo tempore. 80

Altare viſi ſunt ſæpius Cœlites Principes ſtipare condecentia permodeſta. 91
Altari nullus locus aptior gratiis agendis inueniri poteſt. 133
in Altari patet fons gratiæ apertus. 133. 134
S. Ambroſius Mediolano non diſcedens venit ad funus S. Martini in Galliam. 146. 147
Amor quo in hac vita Deum proſequimur quo indiget alimento. 50
Amor in cœlo perfectam quietem adipiſcitur. ibid.
Amor diuinus quem modum inuenerit quo Christus præſens nobis adeſſet, ſimul & in cœlo reſidens. 4
Amor diuinus quomodo noſtris commodis prouidit. 121
Amor diuinus eam amicitiam conſuetudinemque familiarem inter nos ac Deum iunxit, quam Poëtæ, quamuis multa ſuis fabulis commenti, exprimere non potuerunt. 100
Amoris ſenſus maximè ſuſpectus eſt ſpiritualibus. 239

Amor quo Deum proſequimur in quo magis elucet. 214
Amor prima eſt omnium affectionum. 239
Amore duci, atque hac regula omnia ſua metiri filiorum eſt Dei. 61.62
Amore noſtri quo omnia metimur ſæpiſſimè fit vt errata nos fugiant. 222
Amphilochius Iconij Antiſtes cur Theodoſio Imperatore ſalutato Arcadium filium licet præſentem prætermiſerit. 233
Angeli non ſunt capaces communionis ſpiritualis, cur. 137.138
Angelorum quamplurimorum concentus cur die Chriſti nati auditus. 118
Animi feruor & attentio ſine intermiſſione cum ad Deum acceditur, ſuperat naturæ vires. 225
Animos identidem ad nos ipſos referre debemus vt vitio euellendo, inſerendæque virtuti operam ſtrenuam nauemus. 172
Anima quo modo in Deum commutetur communione corporis Chriſti. 122

Altare viſi ſunt ſæpius Cœlites Principes ſtipare condecentia permodeſta. 91
Altari nullus locus aptior gratiis agendis inueniri poteſt. 133
in Altari patet fons gratiæ apertus. 133. 134
S. Ambroſius Mediolano non diſcedens venit ad funus S. Martini in Galliam. 146.147
Amor quo in hac vita Deum proſequimur quo indiget alimento. 50
Amor in cœlo perfectam quietem adipiſcitur. ibid.
Amor diuinus quem modum inuenerit quo Chriſtus præſens nobis adeſſet, ſimul & in cœlo reſidens. 4
Amor diuinus quomodo noſtris commodis prouidit. 121
Amor diuinus eam amicitiam conſuetudinemque familiarem inter nos ac Deum iunxit, quam Poëtæ, quamuis multa ſuis fabulis commenti, exprimere non potuerunt. 100
Amoris ſenſus maximè ſuſpectus eſt ſpiritualibus. 239

Amor quo Deum proſequimur in quo magis elucet. 214
Amor prima eſt omnium affectionum. 239
Amore duci, atque hac regula omnia ſua metiri filiorum eſt Dei. 61.62
Amore noſtri quo omnia metimur ſæpiſſimè fit vt errata nos fugiant. 222
Amphilochius Iconij Antiſtes cur Theodoſio Imperatore ſalutato Arcadium filium licet præſentem prætermiſerit. 233
Angeli non ſunt capaces communionis ſpiritualis, cur. 137.138
Angelorum quamplurimorum concentus cur die Chriſti nati auditus. 118
Animi feruor & attentio ſine intermiſſione cum ad Deum acceditur, ſuperat naturæ vires. 225
Animos identidem ad nos ipſos referre debemus vt vitio euellendo, inſerendæque virtuti operam ſtrenuam nauemus. 172
Anima quo modo in Deum commutetur communione corporis Chriſti. 122

Animus in pietatis negotio ſolutior ac liberior, aptior eſt qui optatum fructum capiat. 246
Apocalypſis locus interpretatus. 115
Aqua è puteo educta in quo ſacer ignis reconditus fuerat quid ſignificet. 13
Aras circumire, oſculari & in crucem brachia extendere quando licet. 93
Aras quibus horis accedere oporteat vt religioſi officij partes ſanctè agantur. 110. 111
Arbor vitæ in Paradiſo terreſtri quanta virtute prædita erat. 72
Arca fœderis erat adumbrata quædã effigies Sanctiſſimi Sacramẽti. 228
Aſſueri conclaue qui non vocatus auſus eſſet ingredi reus capitis tenebatur. 22
S. Auſbertus Rothomagenſium Præſul ex aſſidua genuflexione callum genibus obduxerat. 189

B

BAptiſmo nomen Illuſtrationis cur tribuitur à S. Dionyſio. 12

in

in Baptiſmi Sacramento adſtruendo quam malè inter ſe conſentiant hæretici. 18
Baptiſmus Regiæ dignitatis ac ſacerdotij myſtici inſignia confert Chriſtianis. 115
Baptiſmi aqua mortuæ culpa originis animæ reuiuiſcunt. 121
Bartholomæus Apoſtolus centies de die & centies de nocte genua flectebat. 89
D. Bernardus dum caneret in choro cum fratribus, vidit cœlites quorum alij quod notauerant literis argenteis, alij aureis, aut atramento conſcribebant & quid hoc ſignificaret. 25
S. Bonauentura cum abſtinuiſſet aliquandiu ſacris epulis vano metu ductus, licet cupidus, dum ſacris intereſſet, reficitur hoſtiæ particula de Altari accepta quam illi porrexit Angelus. 145
S. Bonauentura in vitiis numerabat labrorum ſilentium motum. 242
Brachmanum Indorum Philoſophorum cóſuetudo cum in ſuam familiaritatem aliquem reciperent. 134

C

Cacodæmoni vnde maior occurrerit occaſio inſiliendi in hómines,eorúmque fidem tentandi. 27
Cæcitas mentis in rebus ſalutis quantorum malorum cauſa. 11. & 12
Calicis attollendi ritum ab annorum centuriis aliquot cœpiſſe quorundam opinio. 90. qui in Oriente etiamnum multis in locis non eſt in vſu. Ibid.
Carthuſiani Patres qua corporis conformatione ſacram hoſtiam venerentur. 90
S. Catharina Senenſis vnde nulla librorum ope tantùm hauſit doctrinæ. 17
Cherubini myſtici apud Ezechielem cur in ſuis inſignibus præferebant leonis,tauri & aquilæ capita. 221. 222
Chriſtus maxima ſemper beneficia elargitus eſt iis qui ad ipſum accedebant dum in terris ageret. 4
Chriſtum cur mori oportuit atque in cœlum aſcendere. 4

Chriſtus

Chriſtus idem natura in ſacra hoſtia qui olim inter homines; & quo vno à ſeipſo differat. 4.5
Chriſti idem corpus colitur ſuper Aras quod ad dexteram Patris collocatum. 5.6.& 49
Chriſtus cum humanæ carni ſe iunxit, eam ſui participem fecit. 6
Chriſtus carnem ſuam profundit ſuper Aras in vſus noſtros. 7
Chriſti natura humana ad quem gradum ſanctitatis euecta. 7
Chriſtus quam gratiam idcirco Patri retulit. ibid.
Chriſtus nos ſuauiter inuitat, non vi ac minis compellit, vt eum in S. Sacramento adeamus. 8.& 9
Chriſtus diuinæ lucis impertiendæ rationem iniit triplicem. 12
Chriſtus cum in terris ageret, lumen fuit tum doctrinæ ac miraculorum, tum ſanctitatis ſplendore. 18
Chriſtus ſol Iuſtitiæ vbicumque vocatus eſt, inibi præclara beneficentiæ reliquit veſtigia. 19.20
Chriſtum arctiſſimo neceſſitudinis vinculo nobiſcum Deus pater

coniunxit in Incarnatione, ſed præcipuè in Hoſtia ſacrâ. 47
Chriſti in omnibus Sacramentis munificentia. 47.48
Chriſtus in cœlo cur Patri vulnera oſtentat. 49
Chriſtus ſtygis, mortíſque victor cur ſacram Hoſtiam ſuper altare conſtituit. 50.51
ad Chriſtum ſuper Aras conſidentem confugere fiduciæ Chriſtianæ eſt ſimul & prudentiæ. 51
Chriſtus cur lilium eſt vallium, & fons perennis. 52
ad Chriſtum humilem & crucifixum ſuperbis non patet aditus. 53
Chriſto vni perſona infinito, finito natura humanâ ſacrificij præſtantiſſimus cultus reſeruatus fuit antiquis ſacrificiis repudiatis. 64.65
Chriſtus primum ac præcipuum egit Sacerdotem duplici nomine ad vtrumque ſacerdotium Melchiſedechis & Aaronis quod anteceſſerat. 65.66
Chriſtus quando Corpus & ſanguinem præbuit in ſacrificium. 65
Chriſtus cum corpus ad ſacrificium Patri

Patri præbuit, eadem opera nobis illud reliquit in Sacram.ntum. 69
Chriſtus cur corpus & ſanguinem obtexit ſingulari ſapientia accidentibus tanquam inuoluctis. 70.
vtilitates duæ quæ inde conſequuntur. ibid.& 71
Chriſtus menſam extruxit ad vitam mentis alendam, & quam exquiſita illa. 72
Chriſti corpus cibus eſt omnium præſtantiſſimus, quod duplici ſimilitudine oſtenditur. ibid.
Chriſti natura humana ob ſempiternam coniunctionem cum perſona Verbi, aptiſsimum vitæ animi, ſcil. gratiæ, fouendæ inſtrumentum. 76. 77. & ſeq.
Chriſti in S. Sacramento quare tanta profuſio. 79. 80
Chriſtus in digna S. Sacramenti ſumptione duplicem nobis æternitatem donat. 80. 81
Chriſtus in S. Sacramenti inſtitutione, non ſolùm illud ad gloriam ſuam referri voluit, ſed etiam noſtram ſpectare vtilitatem. 82

Chriſti natura humana quæ in cœlo conſidet ad Patris dexteram, ſingulari quodam modo in templo conſiſtit ope Sacramenti. 97.98
Chriſtus conſecrandi hoſtias poteſtatem Eccleſiæ reliquit inſitam verbis myſticis quæ ore Sacerdotis proferuntur. 98
Chriſtus nobiſcum ſe fore promiſit vſque ad conſummationem ſæculi, ſed in Euchariſtiæ Sacramento. 99
Chriſtus nos ad Euchariſtiam tanquam thronum gratiæ amicè inuitat. 101
Chriſti benignitas ex quo apparuit, ab illa graui, & ſeuera lege ſoluti ſumus, veteri ſcilicet. 101
Chriſtus cum in terris mortalis verſaretur, non cuiuis ſecum colloquendi poteſtatem faciebat. 108
Chriſtus quo tempore corpus ſuum præbuit Apoſtolis. 109.110
Chriſtus quo tempore panes hordeaceos multiplicauit. 109
Chriſto quo tempore factæ honorificentiſſimæ viſitationes. 110
Chriſtus in Cruce pendens contractiores preces tanquam ſagittas

quæ

quæ ad Patris vſque ſolium penetrarent, contorquebat identidem. 112.113
Chriſti corpus eadem quâ in cœlo membrorum integritate, pulchritudinis ſpecie, ſplendore & ornatu eodem in Euchariſtia continetur. 116
Chriſti animus ab ipſius corpore & ſanguine diſiungi non poteſt, nec etiam perſona diuina quibuſcum ſeſe coniunxit ſempiterno vinculo. 117
Chriſtus quanta cura prouidit hominum turbæ qui eum in ſolitudine ſecuti fuerant, & quam magnificè & lautè eis conſuluit. 123.124
Chriſtus ſuper Aras ſacra velut vbera præbet lacte beneficentiæ plena. 124.125
ad Chriſtum vt aduolemus confidentem in Euchariſtia, in qua eſt maximè beneficus, eíque preces noſtras ſupplices, & poſtulationes offeramus, nil nos remorari debet. 126
à Chriſto quod extat collatum in nos beneficium ſuper Aras quantū. 134

Chriſtus quantum miſericordiæ ſpecimen exhibuit in Euchariſtiæ inſtitutione. 207
Chriſtus carnem ex carne B. Mariæ accepit. 235
Chriſti corpus quod beatiſſima Virgo genuit, quod in gremio fouit, non aliud, de ſacro Altari percipimus. 236
Chriſtianorum regnum in quo poſitum ſit. 115
Chriſtianorum promiſcuè ſacrificium in quo præcipuè conſiſtat.
Chriſtianornm quorundam fatuitas, qui tanto rerum caducarum deſiderio tenentur vt æternis nuntium remiſiſſe videantur. 129
Chriſtianorum quorundam variæ excuſationes quibus ſe eximant ab obeundis actionibus in viſitatione SS. Sacramenti. 189. & ſeq.
Chriſtiani Deum habent proximum præ cæteris populis, 100
Chriſtianorum in primitiua Eccleſia de celebranda ſacra Synaxi quanta cura. 102
Chriſtiani primi S.Sacramentum domum deferebant quo corroborati nullam

nullam tyrannorum crudelitatem reformidabant. 102. nec vllum iter magni momenti ſuſcipiebant, quin ſacram hoſtiam itineris ſui comitem haberent. ibid.

Chriſtus cuidam Religioſæ fœminæ apparet cor tenens manu, è chryſtallo perpulchrum, ac mira luce reſplendens, quod viſum eſt primo cum voluptate ſpectari, dein velut deſpectum abiici, tum pede propulſum in luto iacere, & quid viſio illa ſignificaret. 186. 187

Chriſtianorum primorum religio quomodo ſancto Petro comprobetur. 192

Chriſtiani quorum fides languida quinam. 193. & vnde deſit illorum Auguſtiſſimo Sacramento obſeruantia. 193

Chriſtiani complures quod ſe videant implicatos viuendi genere minus perfecto, multa ſibi affingunt vitia, quamuis Deo videantur exinia & exaggerata virtute. 201. quod variis probatur exemplis. 207. & ſeq.

Chriſtia

Chriſtianorum quorumdam langui-
dioris ad pietatem ſtudij excuſa-
tio refellitur. 199. & ſeq.
Chriſtianos non debet arcere à ſan-
ctæ Euchariſtiæ viſitatione lan-
guidus affectus; quod S. Gertru-
di Dominus ſignificauit. 208. 209
Chriſtiani nonnulli cur ſua munia
nullo fructu obire ſibi videantur.
214. 215.
Chriſtianis hominibus quibus ter-
renæ deliciæ ſunt cordi, idem eue-
nit quod Hebræis qui poſt quam
recordati ſunt carnis Ægyptiæ,
manna quod prius maximi fece-
rant, contempſere. 228. 229
Chriſtianorum negligentia in viſita-
tione & veneratione S. Sacramenti
vnde. 229. 230
Ciborium Euchariſtiæ, Arca diuini
luminis appellatur à ſancto Ger-
mano Antiſtite Conſtantinopoli-
tano. 17
Cœlites ab omni perturbatione ſunt
vacui. 224
Cogitationes quæ nobis inuitis ani-
mum diſtrahunt; vel aſtutia dæ-
monis, verti debent laudi non cul-

pæ quas inſtar Abrahami aues, vna manu abigere oportet, altera ſacrificium perficere. 224
Cogitationibus prauis quæ à Cacodæmone immittuntur, animo forti reſiſtendum. 216
Comites Lugdunenſes dum ſacra hoſtia attollitur ſtant recto corpore. 87. 88
Communio ſpiritualis multifariam ſumitur. 136
Communio ſpiritualis vt cum Sacramento ſpectatur quid ſit. 136. 137 quo ſenſu accepta ita eſt hominis propria vt nullius præterea eſſe poſſit, ne Angeli quidem. 137
Communio ſpiritualis cadere non poteſt in naturam rationis expertem. 136
Communio ſpiritualis ſi rectè fiat, eſt perutilis, & maior interdum fructus ex ea quam è ſacramentali percipitur. 138. 139. 140. & qualis apparatus neceſſarius. ibid.
Communio Sacramentalis quid. 136
Communio ſpiritualis in quo præſtet ſacramentali, eiúſque commoda. 140. 141

Communionis ſpiritualis moderatus debet eſſe vſus. 142

in Communionis ſpiritualis vſu, duarum virtutum actiones adhibendæ. 142. 143. quæ eſt ſententia Doctoris Seraphici ipſius verbis expreſſa. ibid.

Communio ſpiritualis ex Concilio Tridentino fit voto, ac deſiderio. 144. quod deſiderium quantum valeat ad coniungendum animum cum Deo ex D. Bernardo. ibid.

ad Communionem ſpiritualem rectè peragendam quæ neceſſaria. 147. & ſeqq. paginis.

Conſecrationis verba quam efficacia. 98

Confidentia in Deo, & ſui diffidentia quomodo acquiratur. 52

Cor Dei ex quo pendere debemus. 127

Corporis Chriſti beneficium priſcis promiſſum & adumbratum duntaxat, ſed iis negatum, & conceſſum Chriſtianis. 5

Corpus Chriſti cur etiamnum velis obtenditur. 5

Corpus Chriſti, quomodo fiat panis,

&

Digitized by Google

& vinum ſanguis, ex ſancto Ioanne Damaſceno. 34
Corpus Chriſti verè eſſe in Euchariſtia credendum abſque vlla ambiguitate, ſed omni cum certitudine. 30. Patrum ad hoc teſtimonia. ibid.
Corpus Chriſti realiter eſſe præſens in Euchariſtia probatur ex Scriptura aliiſque teſtimoniis. 42.43
Corpus Chriſti in Euchariſtia realiter præſens qui negant, quo ſtupore oppreſſi. 43
Corpus Chriſti in nobis quandiu permanet. 98
Corpus Chriſti in ſacris Ædibus perpetuò manet iterata hoſtiarum conſecratione. 98
Corpus Chriſti beatum eadem qua in cœlo membrorum integritate, pulchritudinis ſpecie, regio ſplendore & ornatu habetur in S. Sacramento. 116
Corpus Chriſti totum eſt & integrum in ſacra hoſtia, atque etiam in qualibet minima hoſtiæ particula. 119
Corpus Chriſti non migrat de cœlo, nihilo

nihilominus eſt in terris, nec in vno loco ſolùm, ſed ſuper altaria & id toties quot ſunt ſacræ Hoſtiæ. 119
Corpus Chriſti permanentibus & integris ſpeciebus permanet, deſinentibus deſinit. 119
Corpus Chriſti etſi totum præbeatur vni, cæteris tamen totum reſeruatur. 120
Corpus Chriſti non mutatur in noſtram carnem, ſed nos in ſe tranſmutat. 122
Corporis Chriſti cum noſtro coniunctio quando fiat. 136
Corporis Chriſti veſtis ſunt accidentia panis in ſacra hoſtia. 163
Corpus Chriſti ex natura B. Virginis formatum eſt. 235
Corporis inflectendi conſuetudo maximam in partem tradita eſt ab Hebræis. 88
Corporis abiecti proſtratio parum eſt in vſu in ſacris. 89. quando eam vſurpat Romana Eccleſia. ibid. & 90
Corporis varij habitus decorè compoſiti in viſitanda & ſalutanda ſacra

cra hoſtia. 87. & pluribus paginis ſequentibus.
Corporis habitus rectus in prece longiore permitti poteſt. 92
Corporis abiectio in rebus ſacris quando probetur; quando non. 92
Corporis veneratio adhibenda, non ſolum animi, in S. Euchariſtiæ cultu, cur, 93.94. quæ pœna iis conſtituta qui hanc debiti cultus partem ſubtrahunt. ibid.
Corporis humani partes, ipſiúſque vniuerſa fabrica quam eximia Dei ſapientiâ, & ſingulari arte conſtructa. 94.95
Corporis habitus, qui ad languorem animi, & ſoporem excitandum, & quibus facultas precandi exaruit, multum valet, adiuncta precatiunculâ autoris conſilio. 95.96
in Corpus, diuinum quippiam ex communione redundat. 122
Corpus idem diuina virtute variis in locis eodem tempore conſtitui poteſt, quod multis exemplis authenticis probatur. 145.146
Corporis

Corporis rectus habitus ſi oculorum in cœlum coniectionem habeat coniunctam, multum valere ad amorem Dei in animis inflammandum teſtantur S. Dionyſius & S. Bonauentura. 87

Corpora noſtra debent vocari in partem honoris qui exhibendus cum ſacra hoſtia viſitur. 87

Crucis ſigno cur frontem Chriſtianorum voluerit notari Deus. 53

Curioſitas modeſta & ſummiſſa in rebus fidei indagandis non improbatur. 33

D

DÆmonis aſtutia vt veram pietatem infringat. 243

Dæmon quibus artibus à ſancto propoſito hominem conetur auertere, & ad diuini cultûs contemptum inducere. 219

Dæmon ſæpiſſime vt animos auertat à veneratione ſanctæ hoſtiæ illi debita, interdum iniicit cogitationem hoſtiam fortè ſacram non eſſe, periculúmque adiri falſi

falſi cultûs. 225. quæ cogitatio quo argumento repellenda. 226
Dæmonis inuidia fouet plurimum Religionis negligentiam. 229
Dæmon cur Deum quo ad poteſt conatur probro ac dedecore afficere. 229
Daniel Propheta captiuitatis Babylonicæ tempore fundebat ad Deum preces vultu verſo, apertáque feneſtra Hieroſolymam verſus. 104
ad Dauidem cur non ſubito miſſus à Deo Nathan propheta poſt adulterij & homicidij patrata flagitia. 106.107
Dauid Rex ob honorem delatum Arcæ magnam rerum humanarum & Diuinarum notitiam conſecutus eſt. 49. Dauid Rex ſtatim atque aliquid ex ſententia proceſſiſſet, conferebat ſe ad tabernaculum. 180
Dauid Propheta quomodo diuinam imploraret miſericordiam. 46
Dauidi, vt ipſemet fatetur, non eximia eruditio & eloquentia, ſed ignorantia rerũ, ad arcana Dei myſteria pernoſcenda aditum aperuit. 197
Demiſſio

